Y. 12. 93

DELITIÆ DELITIARVM

SIVE

EPIGRAMMATVM EX optimis quibuſq; hujus & noviſſimi ſeculi poetis in ampliſſimâ illâ Bibliothecâ

BODLEIANA,

Et penè omninò alibi extantibus

αἰ Ἀνθολογίαι, in unam corollam connexa

Operâ AB. WRIGHT Art. Bac. & S. Ioan. Bapt. Coll. Socii.

Plin. l. 7. Ep. 9.

Fas eſt & carmine remitti; non dico continuo & longo, ſed hoc arguto & brevi, quod aptè quantaſlibet occupationes curasq; diſtinguit.

OXONIÆ,

Excudebat LEONARDUS LICHFIELD Impenſis *Gulielmi Webb.* 1637.

30.2.12


MUNIFICENTIA
REGIA. 1715.
GEORGIUS D.G. MAG. BRIT. FR. ET HIB. REX F.D.

VENERABILI VIRO

GVIL. HAYWOOD

SS. THEOLOGIÆ DOCTORI,

Tutori ſuo ſemper colendiſsimo.

NAturâ dictante accepimus (Vir ornatiſſime) optimos nobis parentes eſſe, quibus erudimur. Naſci etenim viventia tantùm nos reddit, homines verò inſtitui: illinc ſanguinem, hinc ipſam ducimus humanitatem; quam quidem largiuntur Tutores. Quorum vinculo ſecundùm Deum & patriam majus non datur; tamq; facilè quis ſe hominem neget, quàm obligatum eſſe. Quorum beneficiis quicquid debemus, quicquid unquam aſcribimus, minus erit; miſeri nos, quòd vivemus quòd moriemur ingrati! miſeros dixi? imò felices, quòd talibus obſtringimur. Felicior itaq; ut ſim, id eſt, ut tibi magis obæratus, munus fero, munus inquam, quod, ſi cætera omnia vile ſit, certè, ut tibi dicatum, pretium habeat; ac ve-

luti punctum illud corporis formica, divite electri frigore conglaciata, saltem alieno splendore traluceat. Carmina tamen continet ab optimis sui ordinis, à deliciis sui seculi composita; & hoc satis ut optima sint, hoc satis ut deliciæ inscribantur. Hujusmodi igitur cum sint, oro ut accumbas. Nihil hîc apponitur quod calamum, nihil quod oculos pudicos incestet. Sales forsan cæteris molliores aspicias, at innocuos certè; lusus etiam, sed minimè Florales. Si qui enim Vmbri pruritus, si qui Bilbilici cinædi occurrebant, illos extinxi, hos castravi; & ex Cleocritis puros reddidi Gallos. Nullos hîc effœminantes succos, nullum, lenocinium mensæ, sumen delibes. Nostras inter cupedias cicorium tantùm, lactuca, agnusq; castus numeratur; horti equidem vel suo sine Priapo. Per hosce tibi sepositis curis εὐτραπελεῖν liceat, & Theologiæ majestas poetarum amænitate delinita liberiùs ferietur. Neq; sanè commodiori scriptionis genere otium Theologicum commendetur. Sic lusisse, imò sic occupatos fuisse prudentes legimus; prudentes, quòd sic occuparentur. Quid Honorios quid Ambrosios memorem? qui si defuissent, ævi etiam nostri gloria non unum suppeditasset Prudentium. Amplius dicam? suis demulcetur Canticis Ecclesia, suo etiam τοῦ

γὸ καὶ γένος ἐσμὲν Apostolus. At verò aliquam partem levia esse dicis, verissimè. Vt enim pictura poesis est: & hæc & ista suis umbris delectatur; quæ quidem vel umbræ nitorem habent, tantò magis laudandæ, quantò per hasce pulchrior tabella est. Sic nigellus supercilii arcus frontis virgineæ cœlum sicut suum ille cœlestis, purius, serenius reddit. Sic curiales nostratium maculæ dominas suas totidem vel sine hyperbole sydera, totidem quasi lunas efficiunt. Quin & laudem mereantur quòd varietatē pariunt. Luxuriaretur ictericus ut sic dicam, oculus, si penicilli lineamenta aurea tantum aspiceret; improbusq; voti Midas se vel totum asinum optaret, libensq; ad carduos damnaretur, modò non auratos. Suam enim habent & nauseam bellaria, nec decies repetitæ placent placentæ: imò hisce saturatos varietas ex vilioribus oblectat. Sic se habent poematia: non omnibus idem vultus est. Hæc inter meræ regnant Lubentiæ, in illis quasi sacra aguntur; ubi epigrammata, sale Theologico tanquam undis lustralibus conspersa, è sacrosanctis Musarum prodiisse videbuntur. Hîc altæ poeseos scrutatorem legas Grotium. Grotium inquam, stricto suo quàm pede libero, seu mare seu terras describit, feliciorem. Illic ad Christi incunabula venerandâ mollitudine næniolas canen-

canentem audias Bettinum; Bettinum illum, qui benè oſtendit etiam in ſacris inveniri Catulliſmos, ſed puriores. Ingenioſiſſime loquentis picturæ artifex, quænam Pharaonis filia non miſereretur in cymbulâ tuâ papyraceâ ſecundò periclitantis Moſis? quis non tenello Præcurſori baptiſma inſtillantes diſertiſſimas garruli tui fontis ſuſpiceret gemmulas? Deniq;, quis non politiores illas Virginis-matris, illiuſq; unigeniti miraretur picturas; picturas, quæ quidem cultores ſui tantùm non Catharos inveniant. Has tibi, (vir colendiſſime) ſummo tanquam rei literariæ cenſòri, ſupplex tabellas offero; quæ ſi arrideant, in illiſq; vetus illud *Vti Rogas* inſcripſeris, figam tabulas. Omne enim videar tuliſſe punctum; omen habeo prærogativum: nimirum de ſeculi noſtri cenſurâ ſecurus ſum, ſi abſolvar tuâ. Hoc ſic geſtit auſpicio

Diſciplinæ tuæ alumnus
obſervantiſſimus

AB. WRIGHT.

LECTORI.

INtùs canere odioſum eſt. Vnuſquiſq; enim non ſibi, ſed ſuis natus eſt & patriæ: atq; hiſce quodcunq; conducat, neutiquam vereretur publici id juris facere; ſecurus modò ambitionis, nec ſumit aut ponit faſces

Arbitrio popularis auræ.

Hiſce inſiſtens veſtigiis; immaturum hunc, & trimeſtri tantùm fœturâ ſuſceptum infantulum tibi (Lector) non inter liberos dico, ſed vernulas & mediaſtinos ſuſtollendum offero; nihil aliud ut morerctur meritum, niſi quia citò natus eſt. Suos fateor naturæ habet errores & παρεμβάσεις; neq; verò adeo ingratis Gratiis, & quartâ lunâ malè prodiit in lucem, ut nòn alicui ſaltem membro felicior Lucina illuxerit. Hunc autem partum, qualis qualis ſit, faciliùs tibi excuſem quàm defendam. Nomen ſuum à delitiis invenit, grandiuſculum certè; cæterùm natales ejus ſi ſpectas, non deſiderantur qui hanc nomini invidiam

vidiam facilè ſunt detracturi. Quid enim Barberino, Vrbano poſteà octavo, qui ſe maximum vellet, majus? Quid utroq; Scaligero, cum ſanguine tum meritis Cæſaribus, auguſtius? Hoc genus, hi proavi:

Sed quæ non fecimus ipſi,
Non ea noſtra voco.

Ad opus ergò quod attinet; aliqua ſcio emineant, non adeò obſoleta quin ad ſeculi faciant genium. Nec quiſquam credo (modò muſcæ & umbræ Zoili ſcilicet excludantur) ad delitias haſce accedat, quin ad ſuam ſalivam lemmata reperiat, illaq; vulgo inviſa. Sed quid? medium digitum intendis, quòd parcipromus nimis brevitati plus ſatis ſtudium dicavi? apagè illud omen: bonum herclè dic factum. Enimverò & temporum mori, & bibliopolæ compendio datâ operâ inſervivi. Magna ſiquidem hoc fato æſtimantur, nec leginec emi ſolent. Quis enim ita viles habet impenſas; quis tam nihili facit horas vel ſucciſivas, ut in vaſta & ob molem tantùm ponderoſa volumina aut has aut illas dilapidaret? Vtcunq; tamen res exibit; ſi cui non ſatis placeam, ſuus vivat auſpiciis: nihil impedio quò minùs pro arbitrio omnia faciat, & impendiò magis, ſi quæ feliciùs exierunt, coacervet: interim tamen hoc quicquid eſt boni velim ut conſulat. Quod ſi quis parùm pudicè criti-

cus

cus unum fortè aut alterum epigramma (imo vix & ne vix quidem alterum) perperam interpretetur; sui certè sensus, non authoris vitio vertendum est. Quid tam sanctum, quod pravus animus inquinare non possit? Decoras imagines, religiosa indumenta, sordidata linguæ clancularię impietas non unâ labe conburcavit: ergone hæc exuenda, illæ refigendæ? absit. Nihil enim tanti est, ut

Vernaculorum dicta, sordidum dentem,
Et fœda linguæ probra circulatricis

moraretur Ecclesia. Amplius (Lector) monitum te volo, nostrates nullâ omninò incuriâ sed scienter à me omitti: rationem facti, neq; multùm erit in rem tuam, scire; neq; in meam, reddere. Vale.

CATALOGVS AVTHORVM.

A.

Ioannes Auratus. 35
Ignatius Albanus. 55
Andreas Alciatus. 56
Hieron. Amaltheus. 58
Hieron: Angerianus. 60
Georg: Anselmus. 61
Ioannes Apostolius. ib.
Ludov: Areostus. 62
Pet: Ægidius. 165

B.

Theodorus Beza. pa. 6
Ioach. Bellaius. 36
Franc: Bellicarius. 37
Iac: Boissardus. 38
Ioannes Bonefonius. 39
Nicol. Borbonius. 41
Achilles Bocchius. 64
Maph: Barberinus 73
Marius Bettinus. 75
Balth. Bonifacius. 91
Nicol. Bartholomæus. 122
Iac. Bidermanus. 138
Geor. Benedictus. 165
Bernar. Bauhusius. 198
Caspar Barlæus. 213
Dom. Baudius. 223
Nic. Baxtus. 224
Georg: Buchananus 243

C.

Ianus Cæsar. 65
Cæl. Calcagninus. 65
G. Cantalicius. 67
Hipp: Capilupus. ib.
Iulius Capilupus. 68
M. Ant. Casanovas. 69
Ioannes Cotta. 70
Georg. Camerarius. 74
Petrus Casella. 107
Mat. Casimirus. 113
Lælius Capilupus. 127
Nat. Chitræus. 128
Euricius Cordus. 130
Cunradinus. ib.
Ioannes Corberus. 150
Bald. Cabillavius. 225

D.

D.
Dol: à Dans. 161
Ianus Douza. 167

E.
Ianus Etruscus. 70
Iac. Eyndius. 168

F.
Steph. Forcatulus 41
Franc. Franchinus. 71
Gerar. Faustus. 156

G.
Ioannes Girardus. 42
Cynt. Gyraldus. 71
Franc. Garola. 101
Nic. Grudius. 169
Ianus Gruterus. 170
Hugo Grotius. 173

H.
Rid. Hermannus 155
Tar. Hebius. 157
Dan. Heinsius. 219

I.
Ioannes Iacometius 20
Bened. Iovius. 72

L.
Corderius Lepidus. 21
Lauren. Lippus. 72
Io. Pet: Lotichius. 150
Petrus Lotichius 155
Ianus Lernutius. 170

M.
Almonius Macrinus. 22
Mart. Monerius. 23
M. Ant. Muretus. 28
Thomas Musconius 101
Raph. Macentinus. ib.
Alos. Mirana. 104
Marius Molsa. 105
Christ. Manlius. 131
Alber. Melemannus. 132
Adr. Marius. 171
Augustin. Mascardus. 211
Car. Malapertius. 231
Ioannes Meursius. 232

N.
Sam Næranus. 171

O.
Ioannes Oexlinus. 132

P.
Ioan. Passeratius 1
Steph. Paschasius 29
Eric. Puteanus. 87
Tho. Porcatius. 102
Iov. Pontanus. 121
Ang. Politianus 124
Ioannes Posthius. 136
Timotheus Polus. 151
Janus Pannonius 239

Q.

Q

Leodeg. a Quercu. 51

R.

Iacobus Rogerius. 16
Franc. Remundus. ib.
Franc. Rainerius. 106
Gab. Roſſenhagius 136
Nic. Rudingerus. 137
Steph Ritterus. 156

S.

Scæv: Sammarthanus. 15
Hen: Stephanus. 18
Ioſephus Scaliger. 52
Bapt. Spagnolus. 102
Actius Sannazarius 108
Franc. Spinula. 113
Julius Scaliger. 117
Hercules Stroza. 126
Georg. Sabinus. 133
Seb. Schefferus. 135
Pet. Streithagenus. 164
Ioannes Secundus. 171
Floren. Scoonhovius. 219

T.

Adrianus Turnebus. 18
Paulus Thomas. 43
Ant. Tebaldius. 103
Ben. Theocrinus. 123
Georg. Thurius. 242

V.

Pier. Valerianus. 103
Ianus Vitalius. 104
Paulus Vlricus. 151
Maximil. Vrientius. 173

Z.

Mathæ. Zuberus. 159
Iac. Zevecotius. 162

IOANNES PASSERATIVS.

EPITAPHIVM IANI IACOBI MEMMII HENRICI PATRIS.

ESTO sub ære cujus ossa condita
Quæris, viator? Memmii Henrici pater
Situs hîc quiescit: sic nisi est notus satis,
Aliis legenda hæc linque; nescis litteras.

Aliud.

HOc quisquis legis, & pius precaris
Memmi ut molliter ossa conquiescant;
Contingat tibi mortuo quod optas.

IN MEMMIVM *rus suum pluvio sæpius cœlo adeunt em.*

INvisit quoties regali nomine villam,
Tectaq; virgineo concelebrata choro;
Id sentit rus pauper aquæ, sed farris abundans,
Excipiens pluvii munera læta Iovis.
Non equidem non hæc fiunt sine numine divûm,
Gleba nec injusso fertilis imbre madet.

Memmî, opta quodcunq; voles; quid vota moretur?
En tribuit cœlum quod tibi terra negat.

In effigies HEN: MEMMII, *uxoris, & liberorum.*

EGregium eſt pictoris opus: latet unica culpa,
Pro binis pinxit quatuor effigies.
Sat pinxiſſe fuit geminâ ſub imagine natos;
Natorum effigie pictus uterq; parens.
Quod ſi, ut corporibus, tabulis adoleverit ætas,
Filius ipſe pater, filia mater erit.

In Lauros HEN: MEMMII *frigore mortuas.*

LAurus amor Phœbi eſt, faciem mutata puellæ,
Eſt etiam Phœbi Memmius alter amor:
Nec tamen abſurdum eſt, quod Memmi nuper in horto
Aruit indigno laurus aduſta gelu.
Quid faceret Phœbus? ſic ipſe hoc tempore friget,
Auxilio ut nequeat frondibus eſſe ſuis.

IANÆ HENNEQVINÆ *optimæ Matronæ Epitaphium.*

IAna Hennequina moribus vixi integris,
Et nota cunctis & probata civibus:
Sed plura de me non viator audies;
Pudorq;, morſq; mi imperant ſilentium.

In obitum RAIM: BELLÆI *qui erudi in gemmas ſcripſit.*

NOn infletus abis, ocelle vatum;
Te flent Heſperii, diuq; flebunt;

Sed plus Heſperiis dolent Eoi,
Nec tam divitibus tument lapillis.
Quin magno ille metus ſubeſt dolori,
Audito interitu ſui poëtæ,
Ne gemma in lachrymas liqueſcat omnis.

In ſepulchrum ab Hiſpanis duci ſuo extructum, quod AMBIANIS *receptis Rex intactum eſſe voluit.*

INcuſtoditam nuper qui ceperat urbem;
Mox idem obſeſſâ cœſus in urbe jacet.
Nec tumulum tamen aut titulum ſœvo invidet hoſti
Gallia, ſed placidum præbet amica ſolum.
Hiſpano optaret cœlum quoq; : frater ut olim
Divum quàm viuum maluit eſſe Getam.

In Luſciniam, quæ, poſtquam regi dono data eſt, obmutuit.

QVæ fueras nuper mirè vocalis, aëdon;
Oblita es dulces unde repentè ſonos?
Præbuit argutum carmen gratiſſima ſedes
Lignea, cum domini pauperis ales eram.
At poſtquam regum gemmis includor, & auro,
Me torpor ſtupidas occupat inter opes.

In hæredem, qui deſtinatam patrio funeri pecuniam liguriit.

DIvitis extincti conſumpſit prodigus hæres
Quam voluit pompam funeris eſſe ſui.
Cui non Tantalidum ſimilis ſit fabula vero?
Quis negat aut veſtrum, dire Thyeſte, ſcelus?

Natorum genitor fuit olim infame sepulchrum,
Nunc fertur tumulus filius esse patris.

In ceram quâ obsignantur literæ amatoriæ.

AGricolæ reserant ceras, & mella leguntur;
Hanc resera ceram, tu quoq; mella leges.

In Gemellos luscos.

CÆtera formosi, dextro est orbatus ocello
Frater, & est lævo lumine capta soror:
Frontibus adversis ambo si jungitis ora,
Bina quidem facies, vultus at unus erit.
Sed tu, Carle, tuum lumen transmitte sorori,
Continuò ut vestrûm fiat uterq; Deus.
Plena hæc fulgebit fraternâ luce Diana,
Hujus frater eris tu quoq; cœcus amor.

Verba data Causidico.

CAusidico quidam montes aurumq; daturus,
Si dubiam causam vincere posset, erat.
Causidicus vincit, mercedem postulat; ille
Abnegat, hic testes invocat usq; Deos:
Impostor ridens, nil est quod jure queraris;
Pro verbis decuit quid nisi verba dare?

In cor HENRICI *tertii conditum ad pontem D.* CLODOVÆI.

ASta, viator, & dole regum vicem;
Cor regis isto conditum est sub marmore,
Qui jura Gallis, jura Sarmatis dedit.

Tecti

Tectus cucullo hunc sustulit Sicarius,
Abi, viator, & dole regum vicem.

In diem obitus P. PITHŒI, *qui dies ejusdem natalis fuit.*

SPerare miseris quid licet mortalibus?
Huic, qui suo isto conquiescit marmore,
Bis quinq; lustris addito septennio,
Emortualis ipse natalis fuit,
Idemq; ademit qui dedit lucem dies.

Epitaphium HADRIANÆ MEMMIÆ.

HIc Hadrianæ condita ossa Memmiæ,
Charo reliquit quæ nihil prolis viro;
Sed temporum ista culpa, non est conjugum.
Hoc sterilis esse sæculo virtus solet.

Epitaphium CARTERII *senatoris integerrimi.*

QVi legis hunc titulum tumuli, miraberis, hospes:
Res similis monstri, vir bonus hic situs est.

In PHILIPPI STROZÆ *interitum.*

DVm ruis in proras, & pectora gentis Iberæ,
Atq; omnem classem dum premit una ratis;
Proditus à sociis, pulchro, fortissime, letho
Volveris, & vitreas sanguine tingis aquas.
Ingemuit Nereus, Nymphæ ingemuere cadenti,
Cœruleæ lachrymis & maduere genæ.

Non tamen ut tumuli fierunt, aut lucis egentem,
Nam pro luce brevi fama perennis erit:
Pro tumulo oceanus, tumulo quid mollius isto?
In veneris cunis post fera bella jaces.

In obitum GOHORII *cognomento Solitarii.*

CVi solitudo gratior quondam fuit,
Post fata tandem solus esse desinit,
Nam sola noctis per loca ad plures abit.

Epitaphia IOHANNIS PASSERTII *quæ sibi ipse scripsit.*

HIc situs in parvâ Ianus Passertius urnâ
Ausonii Doctor Regius eloquii.
Discipuli memores tumulo date serta magistri,
Vt vario florum munere vernet humus.
Hoc culta officio mea molliter ossa quiescent,
Sint modò carminibus non onerata malis.

Aliud.

QVi sim, viator, quæris? ipse nescio:
Qui sis futurus tu, tamen per me scies.
Ego, tuq; pulvis, umbra, & umbræ somnium.

THEODORVS BEZA.

Epitaphium Causidici cuiusdam.

ORerum varias vices, & ingens
Fortunæ paradigma sœvientis!

Cla-

Clamosissimus omnium virorum,
Qui verborum operam omnibus locabat,
Nunc raptus Rhadamanthium ad tribunal,
Conducit miser antè quæ locabat.

Epitaphium ANTONII PRATENSIS *inter obesos obesissimi.*

Amplissimus vir hîc jacet.

Epitaphium GVLIELMI LANGÆI *Insubriæ proregi.*

LAngæus ille magnus hîc jacet, lector,
Quo nemo melior pace vixit aut bello.
Vitæ genus habes: mortis en genus disce:
Ætate consumptâ laboribus multis,
Suis suorumq; omnium ferè exhaustis
Bonis in usus Galliæ suæ, tandem
Interiit. Ergò pauper occidit, dices:
Imo locuples, cui patria debuit tantum.

In VRANIEN IANI GARNERII *Vxorem.*

SVbmersum juvenem juvenis conjuxq; maritum
Quum Ianum Vranie cerneret ante pedes;
Flevit, concidit, & singultibus interruptis;
Cum permisissent ira dolorq; loqui:
Heu quæ te Naias sub aquis (ait) invida mersit,
Æternos dignum vivere, Iane, dies?
Sic ait, & lachrimis tot circumfudit, ut illis
Penè sit absorptus tunc quoq; Ianus aquis.
Quem deinde efferri ad tumulum cum cerneret, eheu
Hunc, etiam hunc (inquit) tu mihi terra rapis?

Vnda

Vnda rape, & Ianum rape terra: meos tamen ignes
Nec mergetis aquæ, nec mihi terra teges.

Epitaphium LUDOVICI BORBONII, Condæi *Prncipis.*

INgrata, inq; ſuam ter conjurata ruinam
Te Gallia, ô Condæe, dedidit neci.
O juſtam Nemeſin! hoc cernimus ecce ſepulchro
Nunc ſtare Condæum, jacere Galliam.

Lectori.

SVnt qui lectori longo faſtigia libro
Longa ferant: fas ſit ſcribere pauca mihi.
Iſte tamen poterat, lector, liber eſſe libellus;
Pendere nam verſus, non numerare decet.

In quendam aſinorum Encomiaſten.

DVm laudas aſinos, toties cur, Pontice, peccas?
Nempe tibi ignotum γνῶθι σεαυτὸν erat.

In L. IVNII *Columellæ libros de Re ruſtica.*

ORphea mirata eſt Rhodope ſua fata canentem,
Si modò Virgilii carmina pondus habent:
Tu verò, ô Iuni, ſilveſtria rura canendo,
Poſt te ipſas urbes in tua rura trahis.
O ſuperi, quales habuit tunc Roma Quirites,
Quum tam facundum cerneret agricolam?

De

De HELIONORA Francorum Reginâ.

NIL Helenâ vidit Phœbus formoſius unâ,
Te, regina, nihil pulchrius orbis habet.
Vtraq; formoſa eſt, ſed re tamen altera major:
Illa ſerit lites, Helionora fugat.

In fori mancipia.

QVum ſit hoc ferè proprium poetis;
Rebus omnibus ut peculiarem
Divum conſtituant ſuumq; numen;
Cur lucrum, forum, & eloquutionem
Vni Mercurio tamen ſacrarunt?
Priſci ſcilicet hoc modo indicarunt
Futurum, ut rabioſa quiſquis armâ
Tractaret fori, haberet ille curam
Lucri non minús ac locutionis.

In Philopatrum.

DAmnabis, fateor, noſtros, Philopatre, libellos;
Et tibi non lectum deſpicietur opus:
Quid tum ſi noſtros carpas, Philopatre, libellos?
Debebunt tanto noſtra placere magis.

In Philænum.

ERaſmus ille, quo fatentur plurimi
Nihil fuiſſe vel futurum doctius;
Tibi, Philæne, ſtupidus eſt & plumbeus:
Et quicquid uſpiam ab omnibus fingi poteſt
Calumniarum, ſtultè in illum congeris.
Latra, Philæne, quamdiù & quantùm voles;
Hunc ſcire conſtat plura quàm tu neſcias.

Ad Labullum.

SI cœnare voles, Labulle, mecum,
(Sed cœnare voles, Labulle, mecum)
Audi quæ tibi cœna sit parata;
Perdices aderunt duo duobus;
Turtur mox aderit, nec ille solus,
Sed quem casta etiam sequetur uxor:
Hæc nos frigidulo mero, Labulle,
Fame vel quoq; condiemus ipsa;
Sed scis qualia vina comparavi?
Quæ si non vocites Opimiana,
At certè optimiana jure dicas:
Quod si Grammatici pati recusent,
Oblato sibi poculo tacebunt.

In Cæcilium.

QVandocunq; sibi parare amicos
Optat Cæcilius fideliores,
Hos solo probat æstimatq; censu:
Nec quenquam colit ut suum libenter,
Virtus unica quem facit beatum:
Sed cujus titulos superbiores
Triplex linea vix notare possit,
Hunc suum vocat, hunc colit libenter:
Sic servitur, avare, non amatur.

In Scævolam.

AVdes (ô facinus!) censoris sumere normam
Et semper mœsti verba sonare senis?
Audes, ô mores, ô tempora, dicere, cum sis
Socraticos inter gloria prima canes?

Tale

Tale tamen, demens, tale (inquam) Scævola ploras,
Sileni vector qualia nempe rudit:
Quale gemunt calami crasso tractante bubulco,
Quale gemit viridi fulta quadriga rotâ.
Deniq; sic ploras, ut qui tua carmina ridens
Non legat, inventus sit, puto, nullus adhuc.

In Zoilum.

Brevem Zoile dicis hunc libellum:
O si possit idem omnibus videri.

In quendam ad Posthumum.

CIncinnatulus ille, cui undulati
Perplexiq; humeros gravant capilli,
Qui tersâ cute, blæsulâq; voce,
Qui pætis oculis, graduq; molli,
Et pictis simulat labris puellam,
Heri, Posthume, nuptias parabat:
Cum nequissimus omnium sacerdos,
Vrbanus tamen & facetus herclè,
Vtra sponsa foret rogare cœpit.

De IOAN. DAMPETRI *carminibus quibus Erasmum mortuum celebravit.*

MErcurius nupèr defuncto legit Erasmo
Carmen, quo tu illum, Dampetre docte, canis:
Et vix desierat, cum sic exclamat Erasmus,
O si fata darent, sic mihi sæpè mori.

Carino admodum nasuto.

QVòd quacunq; venis, fuga est, Carine,
Cediturq; tibi velut tribuno;

Tandem

Tandem desine, quæso, gloriari:
Naso, non tibi ceditur, Carine.

In Posthumum.

QVantumvis Libitina frequens spectetur in urbe,
Et proprios vitent fœmina virq; lares:
Solus in urbe manes: atq; id, mi Posthume, jure:
Nam quocumq; venis, quid, nisi pestis, adest?
Quid si corripiat te pestis in urbe morantem?
Nempe etiam pesti, Posthume, pestis eris.

In Sacrificos.

QVum sint sacrifici meræ tenebræ,
Noctis noctua nec tam amat tenebras,
Quàm lucem hi fugiunt tenebriones:
Cur, seu luce rudunt nefanda sacra,
Seu noctis tacitas boant per umbras,
Agunt omnia testibus lucernis?
Nempe ut, quos stolidæ subindè turbæ
Possint vendere callidi, perennes
Ipsis sufficiat lucerna fumos.

Ex Græco.

PInxisti pulchrâ nuper Phaëthonta tabellâ,
Altera, Deucalion, picta tabella tua est.
Et pretio rogitas quonam sit dignus uterq;?
Ille quidem flammis, hic benè dignus aquis.

In Ebriosos.

QVæris quis sit homo ebriosus? atqui
Nullus est homo, Nævole, ebriosus.

In classem Hiſpanicam *divinitùs ad* Anglicanæ *classis conſpectum profligatam.*

STraverat innumeris Hiſpanus claſſibus æquor
Regnis junctûrus regna Britanna ſuis.
Tanta hujus, rogitas, fuerat quæ cauſa duelli?
Impulit ambitio, vexit avaritia.
Quàm bene te ambitio merſit vaniſſima, ventus,
Et tumidos tumidæ vos ſuperaſtis aquæ!
Quàm bene raptores orbis totius Iberos
Hauſit inexhauſti juſta vorago maris!
At tu, cui venti, cui totum militat æquor,
Regina, ô mundi totius una decus;
Sic regnare Deo perge, ambitione remotâ;
Prodiga ſic opibus perge juvare pios:
Vt te Angli longùm, longùm Angliſs ipſa fruaris
Quàm dilecta bonis, tàm metuenda malis.

In LVDOVICI MASVRII *poëma de* Babylonis *ruinâ.*

DVm, Maſurî, grandi ore tonas Babylona ruentem,
Cantata eſt quantâ Troia nec ipſa tubâ:
Eſt quod Mæonides, eſt quod tibi major & ipſo
Mæonida, invideat forſitan ipſe Maro.
Error in hoc tamen eſt, Maſuri, quòd carmine tanto
Manſuram æternùm, quam ruis, ædificas.

In Agaſonem repentè Abbatem factum.

SOrdidus ad domini ſtabat qui nuper equile,
Repentè monachis factus abbas nunc præeſt.

Fallor

Fallor, an eſt illud dici quod ſueverat olim,
Ab equis ad aſinos quempiam tranſcendere?

In LVCRETIAM.

SI fuit ille tibi, Lucretia, gratus adulter,
Immeritò ex meritâ præmia morte petis.
Sin potiùs caſto vis eſt allata pudori,
Quis furor alterius crimine velle mori?
Fruſtrà igitur laudem captas, Lucretia; namq;
Vel ſcelerata cadis, vel furioſa ruis.

M. BRVTVS *ἀντίχειρ.*

DIvitiis uti licuit cum Cæſare partis:
Ferre necem poſſum, nòn potui dominum.

In Cardinales petaſatos & purpuratos.

SEmiviros quicunq; patres radiante galero
Conſpicis, & rubræ fyrmata longa togæ:
Crede mihi nullo ſaturatas murice veſtes,
Divite nec cocco pallia tincta vides;
Sed quæ rubra vides, ſanctorum cæde virorum,
Et merſa inſonti tota cruore madent:
Aut memor iſtorum quæ celet crimina, veſtis
Pro dominis juſto tacta pudore rubet.

Xenophon lævâ calamum, dextrâ gladium geſtans.

QVuid Marti, & Muſis, Xenophon? ſic vicimus olim
Barbariem gladio, barbariem calamo.

In Eraſmum cingulo tenus depictum.

INgens ingentem quem perſonat orbis Eraſmum,
Hæc tibi dimidium picta tabella refert.
At cur non totum? mirari deſine lector;
Integra nam totum terra nec ipſa capit.

Phœnix inter flammas.

PHœnicem, ſi vera ferunt, mors ipſa refingit;
Huic ſit ut unus avi vitaq; morſq; rogus.
Ite ô carnifices, ſanctorum ſancta cremate
Corpora, quos vultis perdere flamma parit.

SCÆVOLA SAMMARTHANVS.

In quoſdam huius ætatis ſcriptores.

QVid juvat obſcuris involvere ſcripta latebris?
Ne pateant animi ſenſa, latere potes.

De P. FELICE.

QVæritis, uxorem fugiat cur ducere Felix?
Hoc ſine jacturâ nominis ille nequit.

Laidis votum Veneri.

ILla ego quæ cupidos pellexi Laïs amantes,
Dum juvenile meo fulſit in ore decus;

Nunc

Nunc anus hoc Veneri ſpeculum fero, quando videre
Nec placet id quod ſum, nec licet id quod eram.

IACOBVS ROEGRIVS.

In divitem indoctum.

VIdet ut indoctum Cynicus, cui purpura veſtis;
Aurato video vellere, dixit, ovem,

FRANCISCVS REMVNDVS.

De lachrimis MARIÆ MAGDALENAE.

FÆlices nimiùm gemini tua lumina fontes,
Quæq; venit tritâ ſedula gutta viâ.
Se lachrimam eſſe tuam cuperet, quæ vere tepenti
Labitur in molles humida gemma roſas.
Si manare oculis poſſet Pactolus ab iſtis,
Aurifer haciret ditior amnis aquâ.
Tam pretioſa pedes Domini niſi lamberet unda,
Vnda quid, ah quererer, tam pretioſa peris?

Ad B. Virginem die Purificationis.

PRo pretio infantis veteri de more redempti,
Munus egentis aves, divitis agnus erat,

O quid aves tecum, virgo, pro munere defers,
Non satis est agnus quem geris ipsa sinu?

Ortus & occasus CHRISTI.

CLara dies, oreris mediâ dum nocte, refulget;
Dum moreris, medio nox erit atra die;
O verum solem supera inter lumina, quo lux
Exoriente oritur, quo fugiente fugit.

De MARIÆ MAGDALENÆ *capillis quibus pedes Christi tergebat.*

O quàm diversos crines formantur in usus!
Arma sua invictus ponere nescit amor.
Magdala crine potest, solitæ memor artis, eodem
Illaqueare homines, illaqueare Deum.

De Ceto & IONA.

ATtonito vates in ceti ventre triumphat
Naufragus, innocuæ nobilis esca feræ:
Non fuit ille unquam pacata lætior undâ,
Non fuit irato tutior ille freto.
Redditur at tandem facili pristricis ab aluo,
Et charus fidis enatat hospes aquis.
Si cupis ô vates, posthac vitare procellas,
Ad quæ confugias viscera piscis habes.

UNIVERSITY LIBRARY CAMBRIDGE

ADRI-

ADRIANVS TVRNEBVS.

In Calvum.

CAlve, mihi tecum nihil est, sed laudo capillos
Istud quòd tetrum deseruere caput.

TVRNEBI *Epitaphium incerto authore scriptum.*

TVrnebus jacet hic: quis sit si quærere pergis,
Iam dignus es qui nescias.

HENRICVS STEPHANVS.

De PHYLLIDE *pariente* 5to *mense.*

ANte legitimum statumq; tempus
Cum puerpera facta Phillis esset,
Infamavit eam per ora vulgi
Rumor continuò vagatus iste,
Nuptias fuit ante nupta Phillis.
Sed ridens mulier, caputq; motans
Pauca hæc retulit illa nuntianti;
Computat malè vulgus imperitum.
Nuptiarum enim mei mariti
Quinq; præteritos, amice, menses
Quinq; mensibus addito meorum,
Non partus decimi sit iste mensis?

Avari

Avari mors.

NOn gemit ob mortem, cui vita ſimillima morti:
Sed quòd ſit gratis mors morienda dolet.

Dictum mulieris immorigeræ.

DVm quædam cerebroſa diu reprehenditur uxor,
Nec ſatis officii dicitur eſſe memor:
Quid de me queritur conjux? quod vult, volo, dixit;
Imperium is ſibi vult, id volo & ipſa mihi.

Incerti. è Græco.

DIves amatorum quam fecit turba ſuperbam
Quæ Nemeſin rigidam non venerata deam eſt;
Indiga nunc victûs percurrit pectine telas:
Palladis eſt tandem ſub juga miſſa Venus.

LÆONIDÆ. *è Græco.*

MEnodoti effigiem pinxit Diodorus, at illa eſt
Menodoto excepto cuilibet aſſimilis.

De Mulieribus. è Græco.

TAuro ferire cornu,
Equo ferire calce,
Lepori valere curſu
Natura dat: Leoni
Dentes hiante rictu,
Piſces docet natare,
Aves docet volare,
Prudentiam viris dat:

At fœminis nequivit.
Quid ergo donat illis?
Decoram habere formam
Pro parmulisq; cunctis,
Pro lanceisq; cunctis:
Quin flamma cedat illi,
Ferrumq;, si qua pulchra est.

Bibendum esse. E Græco.

FOecunda terra potat,
Hanc arboresq; potant:
Et potat æquor auras,
Phæbusq; potat æquor,
Ipsumq; Luna Phœbum.
Quid ergo vos sodales,
Potare me vetatis?

IOANNES IACOMOTIVS.

In quendam maledicum.

QVI meos blateras nitere versus
Magni versibus aureis Horatî,
Sic possis mihi semper invidere.

Vox Cratetis Milesii.

QVæris difficile invenire quid sit?
O quàm difficile est senem tyrannum!

Iphi.

Iphicratis dictum.

VAllaret vigil hoſte non propinquo
Cur caſtra, Iphicrates rogatus; inquit,
Non eſt vox duce digna, non putaram.

CORDERIVS LEPIDVS.

Ad Lucretiam.

LAudari debes, Lucretia, ſi qua ſit unquam
Inter honoratas laudibus acta nurus:
Alterius quòd paſſa viri veſtigia per vim
Mens ſceleris vindex manſit, & ulta virum eſt.
Vivet enim obſcuris ereptum nomen ab annis,
Et, quantùm in terris Roma, perennis eris.
Sed quid & infandum miſiſſe in viſcera ferrum
Iuvit, & immeritas cæde luiſſe manus?
Scilicet illa fuit ſtupro mors ſera peracto;
Aut non debueras, aut prius ipſa mori.

VENVS *marmorea.*

NEſcio cur Venerem meretricem carmina dicant;
Hoc ſcio quòd nihil hac caſtius eſſe poteſt.

SAL-

SALMONIVS MACRINVS.

Ad GELONIDEM.

PRinceps Iuliadum juvencularum
Manſuetudine, caſtitate, forma;
Vernâ floridior, Geloni, Calthâ;
Molli mollior anſeris medullâ,
Cui cædat favus Atticus, liquòrq;
Is quem Trinacriæ tulere cannæ,
Aut ſi dulce magis quid eſſe poſſit,
Cur non, ô mea, nunc ſuſurro tecum
Secreto laris anguli paterni?
Cur non turgidulæ inſero mamillæ
Furtivamq; manum, deoſculorq;
Tinctas Sidonio rubore malas,
Rixoſo & tua dente colla ſigno?
Hæc nunc ſi facerem, beatus eſſem.
Sed fortuna meis iniqua votis
Has ad luctum animi retruſit oras
Extremi Oceani atq; Galliarum;
Vnus ne fierem beatiorum,
Eſſem ſi aſſiduè, Geloni, tecum.

Ad NICOLAVM BIRALDVM *de morte filiæ Quadrimæ.*

QVid noctes miſer ejulas dieſq;? &
Nil convitia profutura fundens
Irato Lacheſin laceſſis ore?

Quæ

Quòd natam illæ tibi abſtulit Quadrimam,
Argutam, docilem, venuſtulamq; ?
Et quam præſidium ſubinde firmum
Sperabas ſenio tuo futuram ?
An hoc lædere ? an hoc vocas nocere,
Pro terris Mariæ dediſſe cœlum ?
Quin gaudes potius Biralde, cum, quam
Mortalem genuiſſe credidiſti,
Tam factam videas repentè divam ?

MARTIALIS MONERIVS.

In Daphnem fugientem.

CVr Pæana fugis, Peneïa virgo, ſequentem ?
Telane, non Deum times ?
Parce fugæ, innocuus Deus eſt: aut Virgine Pæan,
Aut potietur arbore.

In Lopſum.

DVxit Lopſus anum cadaveroſam,
Quâ cum delitias fecit miſellus:
Cor ſuum vocat, & ſuam columbam,
Et ſuum jecur, & ſuos ocellos,
Aut quod plus ſolet eſſe delicatum:
Nil non congerit in ſuos amores,
Mille baſia identidem refigens,
Quas, Deus bone, ſuaviationes !
Nardos, cynnama, Malobathra, amoma,
Aut ſi plus quid habet fragrantiarum.
Vxorem potes, Lopſe, amare talem ?
At nummos habet, inquis: ô beatam !

Quæ

Quæ fit cum loculis repentè bella.
O vires magicas pecuniarum,
Per quas non liceat cadaver esse!

In LVPERCVM. *jocus ex* LVCILIO.

SI cœnas properè nimis, Luperce,
Si lentus pede tardiore curris,
Cœnes censeo calce, dente curras.

In *Eudoxum*.

QVi tibi vult, Eudoxe, malum miscere venenum
Te non odit, amat magis.
Viroso virus prodest; mixtusq; colubro
Nil noxæ coluber creat.

In MACHONEM *qui ad* CALETES *ligneum pedem amisit*.

DVm Caletes vis Galliæ circumfurit;
Ignotus, at pol acer, aggerem Machon
Dum scandit, ictu ligneum glandis pedem
Vt sensit crepuisse, nihil, inquit, deperit;
Nam crus aliud est integrum mihi domi.

Mendacii merces.

MEndacio quid vanus acquirit sibi?
Vt vera dicens impetret nunquam fidem.

In *Zozimum*.

MErcurio similem dicis te, Zozime, linguâ:
Fallit te ratio, Zozime; dic manibus.

In ſylvam carminum Pauli Laberii.

IAm Muſæ ſatis & ſuper, ſenator,
Errant montibus, & per aſp'ra teſqua:
Nolunt amplius in jugis teneri,
Et ſpernunt loca quæ prius placebant,
Libetras, Helicona, Phocidemq;.
Vt vidêre tuam nitere ſilvam,
Sic ſilvæ placuere, nil ut ultra
Iucundum pote præter eſſe ſilvas.
Qui de rupibus unico libello
Sic Muſas facis advolare ſilvis,
Scribe flumina, Laberi; natabunt.

Epicteti Problema.

CVr duo ſollicitæ Deus indidit ubera matri?
An decorent pectus quòd muliebre magis?
An quia ſæpe duos enixa puerpera fœtus
His eget, ut geminis ſit ſatis una parens?

In Tumulum Archilochi, è Græco.

HOc ne crabrones tumulo irritentur humati,
Quàm potes hinc tacitè, quæſo, viator abi.

In navem combuſtam.

ODi tempora, ferreumq; ſeclum.
Non quòd mors Erebi recluſit oras;
Nec quòd mille ſeges coacta ſulcis
Vix ſeram domino fidem reponit;
Nec quòd cura, dolor, ſenecta, morbi,
Inſomnes faciunt abire lunas:

Sed quòd, ceu breviore terra tractu
Angustata hominum domos coarctet,
Lentis æquora sunt petita tonsis;
Dolandæq; per alta lustra pinus
Audacem gemuere sub securim.
Securis mala, prima quæ cecidit,
Manus pessima, prima quæ dolavit.
Aer, terra, & aquæ nefas vetabant,
Nil fecere tamen, tulit libido;
En ultrix quoq; flamma promit iras:
Nondum, navita dure, pertimescis?

In Zoilum.

QVi nihil ipse facis, cur omnia, Zoile, mordes?
Omnia qui mordet, Zoile, sordidus est.

In PETRVM GRAMMATICVM & LICORIN *ejus uxorem Mœcham.*

O Dictum benè, nec minùs probatum,
Quo cum vixeris æmuleris ultro;
Claudo compare claudicare discas;
Vinoso fugias aquam sodali;
Cum tristi tetricum induas rigorem:
Sic dum Grammaticam professus artem
Declinando simulq; conjugando,
Sensim Grammaticam facis Licorin,
Declinas Petre, conjugat Licoris.

Ad SORBICVM.

SOrbice, te juris vehemens, ais, incitat ardor,
Terreret studii ni salebrosa via:

Non quia difficile est, non audes, Sorbice, niti ;
Sed quia non audes, Sorbice, difficile est.

De corruptela præsulum. è D. Ambrosio.

QVem non ruentis sæculi terrent vices,
Rerumq; devexus status ?
Qui, dum Deorum vasa placabant minas
Excisa silvarum jugis,
Vixere puri præsules auro magis:
Nunc, proh dolor! versa vice,
Dum lanx Deorum placat iras aurea,
Ex aureis sunt lignei.

In Levianum.

PLorabat modò Levianus unam
De sororibus undecim peremptam.
Ego, quod pote mens amica fari,
In solatia & allocutiones
Communi super exitu afferebam.
Ah, inquit, facilè ut valemus omnes
Rectis consiliis levamus ægros.
Nunquam ego lepidam meam sororem,
Heu charum caput! amplius videbo ;
Pro quâ, quæ reliquæ decem supersunt,
Cur non, dii superi, abstuliστis omnes ?
Vivos siccine, Leviane, ploras ?

R. PICHONIO, *viro optimo.*

QVòd fœcunda inter sæcli contagia, solus
Indeclinato tramite liber agis;

Magna facis, sed non in te miranda, Pichonî;
Quin admirarer plus ego, ni faceres.

M. ANTONIVS MVRETVS.

In Venerem.

SI Venus, ut mendax docuerunt turba poëtæ,
De mediis verè nata putatur aquis;
Quî fieri potis est, mediis ut fluctibus orta
Assiduo nostrum torreat igne jecur?
O dolor! ô quid jam miseri speretis amantes?
E media vobis nascitur ignis aquâ.

In SCALIGERVM.

DIcite, mi Musæ, cultissima numina nobis,
Quonam Scaligeri pascitis ora cibo?
Sic ego: sic Musæ; quàm te sententia fallit!
Nectare quo potius nos alat ipse, roga.

In quendam.

MVlciber incessu, capite Æolus, ore Lycæus,
Tres uno divos corpore solus habes.

In convivatorem nimium prolixum.

QVonam scriblitas, quonam ista sophismata plenis?
Vis benè convivas pascere? pone famem.

BACCHVS *fonti impositus.*

NOndum natus eram, cum me propè perdidit ignis:
Ex illo fontes tempore Bacchus amo.

STEPHANVS PASCHASIVS.

Aurum.

CAutior an Christi sectator, an Ethnicus, iste
Auro qui pecudem sculpsit, at ille crucem?
Neuter, crede mihi, vanâ ratione movetur;
Iudiciumq; ambo quo tueantur, habent:
Nam qui sollicito se totum dedidit auro,
Inde animo pecudem gestat, & inde crucem.

De LÆLIA.

QVo possem lepidam mihi conciliare puellam,
Tentavi nulla non ratione viam.
Dilexi, scripsi, donavi; sed nec amore,
Nec prece, nec pretio conciliatur amor.
At ubi spes & amor fugerunt; protinus ecce
Lælia me blandis occupat insidiis.
Et lachrymas oculis, lachrymis & munera jungit,
Carmina muneribus, muneribusq; preces.
I modò, & antiquum jactes, ut ameris amato:
Oderis, ardet amor; diligis, alget amor.

Ad Medicos.

GRatuitas operas mihi qui promittitis ægro,
Parcite; non tanti est æger ut esse velim.

In Othonem.

MEntitur quisquis mentiri semper Othonem
Dicit, mendacem se profitetur Otho.

In Quintum.

DVm dubius fluit hâc aut illâc; dum timet anceps
Ne malè quid faciat, nil benè Quintus agit.

Ad IACOBVM DILLIERVM.

DIvitiæ tibi sunt amplæ, tibi larga supellex,
Longaq; per veteres stemmata ducis avos.
Addatur quòd vix quis dicere possit, an in te
Alterutrum præstet forma vel ingenium.
His tam præclaris cum dotibus unus abundas;
Ducere quam possis fœmina nulla datur.
Cumq; sit in votis, tibi non licet esse marito,
Pronuba quem socium vellet habere dea.
Nimirum te sors vult omni parte beare;
Et quamvis cupias, non potes esse miser.

In Marcum.

ERrat qui Marcum credit dare verba clienti;
Marcus verba solet vendere, nulla dare.

In Ægesium: ad Emptorem.

VEndidit Ægesius nuper tibi jugera centum,
Ostrinis nitear clarus ut induviis:
Dicere nec facile est ostrone ornatus an agro;
Nam quæ vestis ei nunc, ager antè fuit.

Viver

Vivere non hoc est hæredi, sed tibi: quid si
Non vivit, tantâ qui tumulatus humo est?

Baculus.

CVi natura, oculos, aures, animamq; negavit,
Hic tamen est cæco duxq; reduxq; viæ.

In Arnum.

ARne, malè audis, nec mores, pessime, mutas;
Non audire malè est illud, at, Arne, nihil.

In malum jejuniorum scriptorem.

TAm pia jejunè tractas jejunia, ut illa
Dum lego jejunus, sum satiatus ego.

De Torquatulo.

INter Arithmeticos unus Torquatulus artem
Mirificè didicit quæ numerare solet;
Sed si fortè tuas operas huic, Olle, locaris,
Credideriſve aliquid, nil numerare potest:
Quantumvis numeros novit Torquatulus omnes,
Haud dubio praxin nescit Arithmeticam.

De Harpalo.

OMnia pauperibus moriens dedit Harpalus, hæres
Vt se non fictas exprimat in lachrymas.

De Conjugio.

COnjugio binos veteresq;, sophique beatos
Adscripsere dies, & thalami & tumuli.

Conjugio nihil eſt homini felicius ergo,
Cujus prima hominem, ſumma dieſq; beat.

Bucula Myronis.

BVcula ſum magni dextrâ cælata Myronis;
Illa ego quæ reliquum fallo juvenca pecus;
Ipſi etiam pecoris cuſtodi imponere ſueta:
Miraris? per me luſus & ipſe Myron.

De eadem.

FAllo gregem, fallo paſtorem, fallo Myronem:
Induet & pro me Iupiter ipſe bovem.

Ad Sabellum.

SI rarum, & pretioſum idem eſt, Sabelle;
O quanti pretii æſtimemus illam
Qua placas ſuperos precationem;
Toto qui precibus deos adire
Semel non iterum ſoles in anno.

Ad Scævolam Sammarthanum.

CVm pulicem ſcripſi patrio ſermone, jocabar:
Scilicet unius, Scævola, noctis opus.
I fuge, nec vanâ paſcaris imagine vitæ,
Tam moriture citó, quàm citò nate pulex.

De Marte & Venere.

INduerat galeam ſopiti Cypria Martis,
Certa novo Martem fallere Marte Venus.
Ad quem Mars: & cur armata laceſſis inermem,
Armatum quæ me vincere nuda potes?

Ad

Ad Candidum.

ÆGrotum visis, sanum me visere cessas:
O utinam nunquam, Candide, me videas.

Ad uxorem.

SI quæ res mihi sit domi foríve,
Vxor possidet; ac ei quadrantem
Ne quidem minimum negare possum:
Et penu fruitur pecuniosâ,
Et villas habet, & domos, & agros:
Verum si genio vaco beatus,
Vel de tempore paululum remitto;
Ecce mirificè tumultuatur,
Et magnas misero ciet querelas,
Me mihi, atq; sibi, meisq; deesse.
At tu, quæ miserum virum lacessis,
O coniux, fruere omnibus meis; sed
Tantillum sine me frui meipso.

Ad Nicolaum Paschasium *filium.*

SIc age cum superis quasi te plebs audiat omnis;
Sic age cum populo, dii quasi te videant.

In Marcum.

SErica cum gestet non ullus tempore mœsto
Quo festum morti særa dedere diem;
Vnus inaudito Marcus velatus amictu,
Vestibus ostrinis purpureisq; nitet.
Omni autem populo miranti, sicne paternos
Ille novâ cineres religione colat?

Hæc ego, respondit, non gestaturus, amici,
Ni pater è vivis occubuisset, eram.

Ad Paulum.

QVòd sequeris reges, magnus tibi, Paule, videris;
Qui magnos sequitur, Paule, pusillus homo est.

Ad SABINAM.

ÆQuora quot conchas, volvit quot littus arenas,
Quotq; humeris magnus lumina fulcit Atlas,
Oscula da trepidis labris coëuntia; in unam
Vt se animam geminus colligat intùs amor.

Epitaphium IVSTINIANI *Imperatoris.*

FLavius, Augustus, Felix, pius, inclytus, Afri,
Vandalici, Alani victor & imperii,
Francicus, Anticus, & Gothicus, Germanicus, idem
Allemannicus hoc marmore contegitur.
Quis docet hæc? lapis unus: at ô spes vana potentum,
Tot titulos mutum non nisi marmor habet!

PETRI ARETINI.

PRimorum mastix, molli hac requiesco sub urna,
Viventi cui mens irrequieta fuit.
Nulli ego mortali, superis si fortè peperci,
Ignoti superi fortè fuere mihi.

Cujusdam Anonymi, vel (si mavis) spurii Epitaphium.

QVæris quis jacet hac, viator, urnâ?
Nomen nescio, nesciebat ipse.

Cer-

Cerdonis.

NVſquam tantillum vivus poſſedit agelli,
Quo poſſet miſerum ponere Cerdo pedem;
More ſed Æthiopum terras vagus hoſpes obivit,
Donec mortuus hac nunc requieſcit humo.
Extincto dat mors, vivo quod vita negârat,
Scilicet & terram, ſcilicet & requiem.

Viri & Vxoris.

NImirum vitæ ſpeculum mors dicitur eſſe:
Vita ut diſſimilis, mors quoq; diſſimilis.
Ecce viro medicus medicamen porrigit ægro,
Abnuit ægrotus ſumere, & occubuit;
Corpore ſed firmata magis medicamen inhauſtum,
Ne pereat, mulier ſumpſit, & interiit.
Diſſidiis tantis dedit exitus iſte quietem?
Falleris, inter ſe jugiter oſſa ſtrepunt.

IOANNES AVRATVS.

De veteris & novæ Romæ ſtatu.

SI vetus à vigili ſervata eſt anſere Roma,
Quanto eſt ſub vigili tuta dracone magis?

Mulieris Natura.

FOemina dulce malum, horis opportuna duabus,
Cum jacet in thalamo, cum jacet in tumulo.

IOACHIMVS BELLAIVS.

In libri cujuſdam titulum.

PAule, tuum inſcribis nugarum nomine librum,
In toto libro nil melius titulo.

In Poëtam quendam meritò Anonymum.

DVm canit Euridicen, ſylvæq; & ſaxa ſequuntur,
Et tenet immanes Thracius ipſe feras.
At tu dum horriſonis ſylvas concentibus imples,
Attonitæ fugiunt in ſua luſtra feræ.

Epitaphium Canis.

LAtratu fures excepi, mutus amanti:
Sic placui domino, ſic placui dominæ.

De morte & amore.

MVtarunt arma inter ſe mors atq; cupido;
Hic falcem geſtat, geſtat at illa facem:
Vt ſecat hic jugulos, oculos excæcat & illa,
Sic moritur juvenis, ſic moribundus amat.
Diſce hinc humanæ quæ ſint ludibria vitæ;
Mors thalamum ſternit, ſternit amor tumulum:
Tu quoq; diſce tuas, natura, invertere leges,
Si pereunt juvenes, depereuntq, ſenes.

FRAN

FRANCISCVS BELLICARIVS.

Ex Græco BIANORIS.

CCorruerant simul à tecto cœnacula tota
In puerum, leni sed leviora Noto:
Perit & infanti librata ruina; dolores
(O matres) partus sentit & ipse lapis.

Antipatri.

PAstores, facilis vobis Cyllenius Hermes,
Huic lac, & quernum mel satis esse potest:
Sed non Alcides; aries quem placat & agnus,
Integra cui semper victima lecta cadit:
Arcet at iste lupos; quid refert, seu lupus hostis,
Servatum custos seu vorat ipse gregem?

AGATHIÆ.

FOrtè laborantem captandis piscibus hamo
Divitis ut vidit filia, amore perit;
Et fit ei conjux: sic vitæ ereptus egenti
In dotem magnas ipse recepit opes:
At ridens fortuna, inquit, victoria certè,
Alma Venus, non est hæc tua, tota mea est.

IACOBVS

IACOBVS BOISSARDVS.

De Lupo à Rusticis capto.

LVpum rustica gens ferum ac rapacem,
Infestumq; ovibus capit: cruci quem
Suffigendum alii volunt, vel igne
Torrendum: ast alii secante ferro
Consciſſum canibus dari vorandum.
Inter quos aliquis malis maritus
Factus auspitiis (quod evenire
Non paucis solet) ô viri, inquit, ipsas
Furcas tollite, restiumq; nodos.
Ferrum, ignem, laqueos, crucem, flagella,
Sunt leviſſima; majus inferendum
Sonti supplicium, jubetis illum
Pœnas, ut meruit, luisse? nubat.

RICHARTO.

PAupertas vitium, Richarte, non est;
Sed lepræ speciem fatere: quasi
Ægrotus teneare, non te amici,
Non consanguinei volunt propinquum.

IOHAN-

IOANNES BONEFONIVS.

De domina ſuâ, ad ANTONIUM COTELLUM.

NAm quid diſſimulem? illa me, Cotelle,
Nympharum domina, illa Pancharilla
Cepit flammeolis ſuis ocellis,
Vinxit aureolis ſuis capillis.
Riſus ille decens, & ille candor
Fuci neſcius, ille me vetuſti
Splendor ſanguinis, illa mens ſenilis
Ætate in tenera, tenorq; conſtans:
Ille corporis elegantioris
Cultus ſimplicior, & illa vultus
Majeſtas placida, & ſerenus ardor:
Ille frontis honos patentis, ille
Me ſupercilii nigellus arcus,
Dentiumq; duplex eburnus ordo:
Illæ marmore purius nitentes,
Papillæ teretes, ſuas Diana,
Et quas eſſe ſuas velit Dione,
Obſtrinxere ſibi arctiore vinclo.
O cuſtodia carceris benigni!
O dulces pedicæ! ô beata vincla!

AN-

Ad

Ad eundem. In catellum dominæ suæ.

QVis, barbatule, quis tuum, catelle,
Non tibi invideat beatitatem?
Quem mulcere manu solet nitenti
Illa lux animi Diana nostri
Et cum se dapibus paravit illa,
Tu conviva Deæ advocaris usq;:
Mox ubi est epulis fames adempta
Novis delitiis beare certat.
Nunc te lacteolæ inserit papillæ,
Nunc humentibus admovet labellis;
Et tot prodiga basiationes
Vni Nectareo propinat ore,
Quot nec Lesbiolam suam poposcit
Vates multivolus Catullus ille,
Catullus pater osculationum.
Quid beatius, ô tener catelle,
Quid bis amplius expetisse possis,
Avarus licet improbúsq; voti?
Quis, barbatule, quis, catelle, tantas
Non tibi invideat beatitates,
Queis sperare nefas beatiores?

Ad eundem de Domina.

ICor ociùs ad meam puellam,
Dic, ut me coquit ardor insuëtus:
Dic, ut mille premunt amaritates,
Dic ut imbre mihi perenniore
Madent lumina; dic ut ipse vitam
Hîc traho anxius inquiesq; curis.
Sed inter tamen has amaritates,

Has inter lachrymas, & inter ignes,
Si tantùm meminit puella nostri;
Dic me vivere vel nimis beatum.

NICHOLAVS BORBONIVS.

In Probum.

IActas te benè nosse cum Latinas
Tum Græcas, Probe, litteras: at illæ,
Quas fronti tibi carnifex inussit,
Te reddunt puto litteratiorem.

In avarum.

DVm moritur, lachrymat, non quòd moriatur avarus,
Sed loculum tanti quod sibi nollet emi.

Ad patrem.

FRigida nostra pater dixisti carmina: sanè
Frigent quæ fecit carmina potor aquæ.

STEPHANVS FORCATVLVS.

Ad APELLEM.

EMersam ex undis Venerem cur pingis Apelles?
Spumifero natam tu magè pinge mero.

Ad

Ad dominam.

PORrexi ex auro munuſcula Dædala, ſed tu
Reſpuis, & nugas aurea dona facis.
Cinnama nec captas redolentia, nec Amethyſtos;
Quid faciam, ſi nec, lux mea, carmen amas?
Montibus Æthiopum magnetem poſcere cogar
Fibra tibi cum ſit ferrea, ſic venies.

De amore & apibus.

CONveniunt & apes & amor: nam ſpicula melle
Mixta gerunt: æris gaudet uterq; ſono.

IOANNES GIRARDVS.

BACCHI *vis.*

EXtenuat Bacchus vires, & roborat idem;
Si fuerit nimius; ſi fuerit modicus.

Cantulo.

DVxiſti uxorem deformem ſed locupletem:
Duxiſti digitis, Cantule, non oculis.

In ſenem laſcivum.

SEnex Arnus amat, furitq; , quantum
Inſanit media puer iuventa.

Sic

Sic naturam imitatur ille porri;
Cui canum caput eſt, virenſq; cauda.

Scurra primâ nocte pater factus.

QVidem connubio ſibi bellam ſcurra puellam
Iunxit herì, factus qui pater eſt hodiè.
Ex quo ſollicitus fabrorum adit ille tabernas,
Et cunas centum comparat, inde redit;
Ecquid id eſſet erat, qui tunc quæſivit, amicus;
Vxor fæcunda eſt, inquit, amice, mea.
Quolibet illa die gravidâ demittet ab alvo
Infantem, modò ſi quo pede cæpit eat.
Et centum cunæ centum ſatis eſſe diebus
Poſſunt, ne toties cogar adire fabros.

PAVLVS THOMAS.

In VENEREM APELLIS.

ZEuxis aves pictis decepit callidus uvis,
At magnos poſſis decipere ipſe deos.
Namq; tuam Venerem videat ſi Iupiter, aut Mars,
Ille ſuam natam credit, & hic dominam.

Ad HENRICVM BORBONIVM.

HEctoreæ ſalve juvenis ſpes inclyta gentis,
Macte animi, & magnis ſis quoq; major avis.
Non tibi Mæonides, non eſt quærendus Achilles
Cujus geſta canas, qui tua geſta canat.
Carminibus ſimul, atq; horrentibus inclytus armis
Tu tibi Pælides, tu tibi Mæonides.

In gemmas Neæræ.

TAm pulchræ unde tibi, Neæra, gemmæ?
Vnde hæc lux viridis Topaziorum?
An Aurora tibi hæc ſuis ab Indis
Miſit munera, faſſa digniorem
Quæ ſuas ageres per aſtra bigas?
Vnde hic præterea tot unionum
Pellucens nitor, ac politus orbis?
Laſciuæne tibi iſta dona conchæ
Mittunt, dum dominam putant Cytheream?
Fallor? an maris Indiæq; toſtæ
Nil moraris opes, potens tuâ vi
Gemmas gignere, gignere uniones?
Sic certè eſt: neq; glorientur Indi
Surgentem propè ſe videre ſolem:
Gallis tu quoq; naſceris novus ſol,
Formoſiſq; diem refers ocellis;
Quorum numine præpotente, amantum,
Quas deſiderio tui profundunt,
Durantur lachrymæ, induuntq; formas
Gemmarum, & varios trahunt colores;
Quas tu deîn manibus gerens, comiſq;,
De nobis totidem geris trophæa.

Baſium. ad amicam.

EN his baſia mille do labellis,
En his baſia mille do capillis,
En fronti, en oculis, papilluliſq;,
En ſupercilio, en genis utriſq;.
Huius en iterum libet labelli
Florem ſugere, piſcis ut latentem
Circum hamum trepidanſq;, mordicanſq;

Eſcam

Eſcam devorat: ô favi recentes!
O roſæ, ô violæ, ô dapes deorum!
Heu ploras mea lux, quid, oro, cauſæ eſt?
Ignoſcas, rogo, ſi ſuavitate
Ebrius nimiâ, tui tot inter
Oris delitias furens ſtupenſq;
Labellum tibi ſtrictius momordi.

In catellum NEÆRÆ.

PAvonem ſibi Iuno, noctuamq;
Pallas vendicat, & Venus columbam:
Catellam ſed amat Neæra, pro quâ
Vltrò Iuno ſuam daret volucrem,
Et ſuam Venus, & ſuam Minerva.
Hanc pulchram manibus Neæra pulchris,
Quid? lecto accipit: illa cum puellâ
Tam honeſtè jacet, ac puella ſecum:
Et ſi quid ſubeat neceſſitatis,
Noto id protinus indicat ſuſurro;
Ac pulſu aſſiduo urget accubantem,
Molli donec humi à thoro reponat.
Ergò in delitiis eam Neæra
Habet tam lepidamq; blandulamq;.
Tantò hæc blandior omnibus catellis,
Quantò hæc pulchrior omnibus puellis.

In conjugia.

SI qua reo mortis iuveni ſe nubere velle
Dicat, eum eripiunt publica jura neci;
Et datur huic uxor quem crux laqueuſve manebat.
Id verò fieri qua ratione putem?
Scilicet ut graviùs plectatur; nempe quòd uxor
Sit laqueo laqueus, ſit cruce crux gravior.

In Cæcilium.

CArmina Cæcilius jactat sua digna cupresso;
Attice, numquid eum dicere falsa putas?
Verius hoc vero est; opus illis arbore quippe
Ferali est, queis mors & prope funus adest.

In Testylum.

TEstylus est lippis oculis, queis plurimus humor,
Sicut inexhaustis fontibus, usq; fluit.
Hunc patrio lachrymas fundentem in funere laudas?
Desine, hic est morbus, Pontice, non pietas.

In rusticum medicum.

VEl mihi morborum causas expone, quibusq;
Principiis hæc me febris anhela coquat;
Vel mihi fabellas, vel quidvis, Pontice, narra:
Nil gravius planè est Hippocrate Harpocrate.

Ad FLACCVM.

CArmina quòd scribam, damnas, meliusq; futurum
Si fora patronus litigiosa colam.
At verò insano sum corpore, cumq; revolvi
Non nisi cum summo jura labore queant,
Inciderem in morbum, certæq; pericula mortis:
Hinc mihi præcipuè semper amanda quies.
Tu verò, turpe est, inquis, tibi vivere soli.
Nolo mihi ut moriar vivere, Flacce, aliis.

In calicem vitreum.

PRæ te, clare calix, Bromium non cantharus ipſe,
Alciden præ te non ſcyphus ipſe iuvet.
Aurea vix tolli poſſunt, dextramq; fatigant
Pondere; tu facili ferris ad ora manu.
Aurea mittuntur pro telo, & vulnere lædunt,
Si medias inter rixa ſit orta dapes.
Præſidium rapidæ nullum tu ſuggeris iræ;
& frangi potius quam nociſſe cupis.
Hæc immixta mero celant aconita; veneno
Rumperis impoſito tu, dominoq; caves.
Aurea cum ſuperes, non te Chryſtallina vincunt;
Vno etiam hæc vincis nomine; vilior es.

IN FABIVM.

NVlli quàm Fabio tota plus creditur urbe.
Mendacine adeò? quomodò? pignora dat.

De Gallâ; ad Fauſtinum.

CAlpabat quidam Gallam, Fauſtine, quòd illa
Nupſiſſet cæco pulchra puella viro.
Huic ea feſtivè reſpondens dixit; inepte,
Ad quod ei nupſi nil opus eſt oculis.

IN M: ANTONIVM.

NIL agis, Antoni, tanta feritate; peremptus
Plus tibi quam vivus, crede, nocet Cicero.
Te ſuadente illo Reſpublica dixerat hoſtem,
Nunc te hoſtem humanum clamitat omne genus.

De

De TITO.

ANtea mitis erat Titus; at nunc conjuge ductâ
Occurſare Tito, cornu ferit ille, cavete.

In Quintionillam.

QVòd nullis ſalibus, facetiiſq;
Sic rides, uti primuli videri
Per diducta queant labella dentes,
Prudens, Quintionilla, non ſevera es.

Ad Cæcilianum.

QVem pretioſa vides indutum vellera Serum,
An tu illum ditem, Cæciliane, putas?
Falleris? eſt cenſu modico; ſed paupere victu
Efficit his ut parſumptibus eſſe queat;
Non mera producunt corrupti ænigmata mores?
Sobrietas luxum prodigioſa fovet.

In judicem avarum.

SOre tibi lanium dedit parentem:
Hinc illos, quibus ulla lis apud te eſt,
Deglubis miſerè: hoc habes paternum.

In quendam.

MVtabas, memini, inquilinus ædes
Nuper, atq; humeris manuq; utrâq;
Molem altam variæ vias per omnes
Supellectilis obrutus vehebas.
Hac luſus ſpecie haud quidem putavi

Præ

Præterire hominem; quid ergo? plauſtrum.

DAPHNE *in laurum verſa.*

IN laurum quid me, ſuperi, convertitis? hoc non
Eripere eſt Phœbo; tradere ſed magis eſt.
Frondibus ille meis crines & tempora cingit;
Irata ô potius fulmina me feriant!

In NICOLAUM VERDUVIUM *ſenatus principem.*

VErduvius populúmne magis ſalvum eſſe laborat,
Verduvium an populus, pendet in ancipiti.
Dii dubium hoc ſervent; tanta virtute nec unquam
Deſinat ille uti, deſinat iſte frui.

De CELSO.

ARdet amore ſui Celſus: nonne ille beatus?
Rivalem nullum, Candide, Celſus habet.

ADONIS.

FLoriferis fueras qui laudatiſſimus hortis,
Nunc legeris flores inter, Adonî, novos.
Arſerat ut vivum, è cunctis ſic floribus unum
Nunc adamat ſpretâ te Cytherea roſâ.

PARIS.

IVdex, fax, hoſpes, maleſanus, acerba, ſceleſtus,
Cyprida, Trojam, Helenam, laudo, cremo, rapio.

ÆNEAS.

SVm pius & fortis: duplex duo præmia virtus;
Italiæ hæc regnum dat mihi, at illa polum.

DEMOSTHENES.

MAgna loqui cultè res eſt, & magna tacere;
Vtraq; & authorem res habet illa Deum.
Vt referat cunctos, nunquam Demoſthene quiſquam
Vel melius dixit, vel melius tacuit.

FABIUS MAXIMUS.

REs gerat egregias alius; proprium hoc mihi, quòd rem
Romanam Fabius ſervo gerendo nihil.

POMPEIVS.

NE nimiùm invideas fortunæ Cæſaris; acti
Eſtis in Æmathia tu miſer, ille nocens.

HORATIUS FLACCUS.

TAm dulces Latio modularis pectine cantus,
Nil canere ut ſyren dulcius ulla queat.
Hóſne tibi verſus paupertas extudit? ô quàm
Sic Irus mallem, quàm ſecùs eſſe Midas.

LEOGED

LEODEG. à QVERCV.

Epitaphium ALANI HULLETII.

POstquam Mercurii ſidus fatale diſertis
Hoc anno vires duriter exeruit;
Pariſiis omnes doctos occidit ad unum,
Quorum præ reliquis inclyta fama fuit.
Inde Toloſanos omnes ut perderet, unum
Hulletium doctis omnibus eripuit.
His illiſq; fuit jactura graviſſima, ſed par;
Hulletius ſi par omnibus unus erat.

Ad amicum de caſtaneis miſſis.

QVamvis Ambroſiâ, quamvis tu nectare dignus;
Attamen agreſtes do tibi caſtaneas;
Vt te teſtificer Saturni tempore dignum,
Vſa fuit quo gens aurea caſtaneis.

Lepidum pediculoſi reſponſum.

QVæſito à quodam cùm multa animalia haberet,
Cur non eſſet ei copia major opum;
Ille ita reſpondit; quoniam hæc animalia, quamvis
Gratis vendantur, ſumere nemo volet.

Amico ſuo.

CVm ſis alter ego, & ſim alter tu, ſi tibi mittam
Munera, crediderim mittere me herclè mihi.
Nam mea, quæ mea ſunt non credo, ſed tua: quare
Ne tua detineam jam mea mitto, vale.

In quendam diſertiſſimum.

SI fontes, fluuii, feræ, paludes,
Montes, robora, ſunt ſecuta quondam
Vocem mellifluam canentis Orphei;
Permirum: ſed enim magis ſtuperem
Ni te ſuaviloquus ſequatur Orpheus.

IOSEPHUS SCALIGER.

Nobilis imperitus.

SVnt diſcolores veſtibus, plebs, nobiles;
Sed concolores ſunt utriq; moribus.

V.

AMicus à te ſi quid expectat boni,
Id omne debet expeti, non exprimi:
Extorta neminem obligavit gratia.
A non volente quod datur, non debeo.

VIII.

AVarus atq; prodigus pecuniæ
Sunt ambo egeni: prodigus pecuniam
Mox non habebit; aſt avarus nunquam habet.

IX.

QVaſcunq; in arcâ condit aggeſtas opes
Avarus, aliis abſtulit, negat ſibi.
Fraudavit alios, ſeq; fraudat ultimum.

XII.

XII.

FOrmido mortis morte pejor, non potes
Vitare mortem, ſed potes contemnere.

XXI.

NE curioſus quære cauſas omnium
Quæcunq; libris vis prophetarum indidit
Afflata cœlo, plena veraci Deo.
Nec operta ſacri ſupparo filentii
Irrumpere aude, ſed prudenter præteri.
Neſcire velle quæ magiſter maximus
Docere non vult, erudita inſcitia eſt.

XXIV.

OBlatam honorem rejicis? conſidera,
Num faſtus illud, ruſticúſve ſit pudor:
Aufer cavillum. Comiter ſic rejice,
Non quaſi recuſans præmium, ſed differens.

XXVIII.

QVi dat libenter, & ſtatim, bis obligat:
Deliberator quod dat, hoc capit ſibi,
Et qui moratur eſt neganti proximus.

XXXVII.

OMnis cupido laudis, omnis ambitus
Pruritus animi eſt febrientis. Gloriæ
Contemptor animus major omni gloriâ eſt.

XXXIX.

CONviva, fige potui primum modum
Quod eſt neceſſe; proximum quod eſt ſatis.
Nil ſat bibaci eſt, ſobrio nil eſt parum.

XLV.

AMor obſequentum, & imperantis dignitas
Regni potentis prima ſunt munimina.
Severitate charitas amittitur,
Et obſoleſcit comitate autoritas.
Horum duorum conſtet ut ſalus tibi,
Hoc temperamen eſt tenendum; ut ne velis
Nimis ſeverus eſſe, nec comis nimis.
Hoc dignitatem eſt, idq; amorem perdere.

XLVI.

APlebe amari, non timeri, rex, ſtude:
Timor magiſter infidelis obſequi eſt,
Et charitatis imbecillum vinculum.
Timor faceſſat, principis mores boni
Poſſunt idem præſtare quod vis imperi:
Multùm imperando, plus amando rex poteſt.

L.

PRinceps tributis atq; functionibus
Regni tuetur publicas opes ſui:
Bellum adminiſtrat, hoſticas frangit minas.
Vectigal omne, & quicquid infertur bonum eſt,
Commune cunctis, ſingulis injuria.

Igna-

IGNATIVS ALBANVS.

In BUCCIUM *male ludentem.*

CVm benè directum certo meditatus in orbem
Iactu indis globulum, Buccie, nemo probat.
Aſt malè cum jacias, quàm bellè dirigis! aiunt,
Buccie, ſi benè vis ludere, lude malè.

Ad CAROLUM BORGIAM, *Ducem* Gaudiæ.

FLebat Muſa tuum ſe non vidiſſe parentem;
Cum te reſpexit; vidi, ait, & tacuit.

De fonte PYRRHI *comitis.*

FOntem auro Pyrrhus, variis ars artibus ornat,
Et natura ſuas larga profundit opes.
Hoc unum deerat, complecti carmine laudes;
Hoc peragit docto carmine, ſed mutilo.
Dicere adhuc cum plura queat, cur ſiſtere mavult?
Quod poterat dici credidit eſſe minus.

In purpuratum: Carmen retrogradum.

MEns tua, non tua ſors, animus, non purpura tanto
Scribere me verſus hos facit ingenio.
Te colo, non colo res: famam, non aurea quæro
Munera; dant magni quæ tibi cœlicolæ.

ANDREAS ALCIATVS.

In fœcunditatem ſibi ipſi damnoſam.

LVdibrium pueris lapides jacientibus, hoc me
In trivio poſuit ruſtica cura nucem.
Quid ſterili poſſet contingere turpius? eheu
Infelix, fructus in mea damna fero!

In gratiam referendam.

AErio inſignis pietate ciconia nido,
Inveſtes pullos pignora grata fovet;
Taliaq; expectat ſibi mutua munera reddi,
Auxilio hoc quoties mater egebit anus.
Nec pia ſpem ſoboles fallit, ſed feſſa parentum
Corpora fert humeris, præſtat & ore cibos.

Pietas filiorum in parentes.

PEr medios hoſtes patriæ cum ferret ab igne
Æneas humeris dulce parentis onus;
Parcite dicebat: vobis ſene adorea rapto
Nulla erit; erepto ſed patre ſumma mihi.

Potentia amoris.

NVdus amor videnʳ ut ridet, placidumq; tuetur?
Nec faculas, nec quæ cornua flectat, habet.
Altera ſed manuum flores gerit, altera piſcem:
Scilicet ut terræ jura det, atq; mari.

In ſtudioſum amore captum.

IM merſus ſtudiis dicundo & jure peritus,
Et maximus libellio,
Helianiran amat; quantum nec Thracius unquam
Princeps ſororis pellicem.
Pallada cur alio ſuperaſti judice, Cipri?
Non ſat ſub Ida eſt vincere?

Sua prodigenti non credenda aliena.

COlchidos in gremio nidum quid congeris? eheu
Neſcia, cui pullos tam malè credis, avis?
Dira parens Medæa ſuos ſœviſſima natos
Perdidit; & ſperas parcat ut illa tuis?

Doloſus in ſuos.

ALtilis allectator anas, & cærula pennis,
Adſueta ad dominos ire redire ſuos;
Congeneres cernens volitare per aëra turmas,
Garrit, in illarum ſe recipítq; gregem;
Prætenſa incautas donec ſub retia ducat:
Obſtrepitant captæ, conſcia at ipſa ſilet.
Perfida cognato ſe ſanguine polluit ales.
Officioſa aliis, exitioſa ſuis.

Par culpa delinquentis & ſuaſoris.

PRæconem lituo perflantem claſſica, victrix
Captivum in tetro carcere turba tenet.
Queis ille excuſat; quòd nec ſit ſtrenuus armis,
Vllius aut ſœvo læſerit enſe latus.
Huic illi: quin ipſe magis, timidiſſime, peccas,
Qui clangore alios æris in arma cies.

Malè parta, malè dilabuntur.

MIlvus edax, nimiæ quem nauſea torſerat eſcæ,
Hei mihi, mater, ait, viſcera ab ore fluunt.
Illa autem, quid fles? cur hæc tua viſcera credas,
Qui rapto vivens ſola aliena vomis?

Quercus.

GLande aluit veteres, ſolâ nunc proficit umbrâ:
Sic quoq; ſic arbos officioſa Iovis.

Malus medica.

AVrea ſunt veneris poma hæc; jucundus amaror
Indicat; eſt Græcis ſic γλυκυπικρος amor.

Amigdalus.

CVr properans foliis præmittis, Amigdale, flores?
Odi pupillos præcocis ingenii.

HIERO. AMALTHEVS.

Ad Marianum.

SEu niveos, Mariane, ſinus, ſeu lactea nudet
Brachia, ſeu blando rideat ore Nape;
Incautos averte oculos, ne callidus auceps
His laqueis, hac te compede nectat amor.

De

De ACONE & LEONILLA.

VT fugeret fervorum æstus sub sidere Cancri
Nudus in algenti flumine nabat Acon.
Qui simulac alto Leonillam in littore vidit,
Ah miser, in gelidis ferbuit æstus aquis.

De iisdem, fratre & sorore.

LVmine Acon dextro, capta est Leonilla siniſtro,
Et potis est formâ vincere uterq; deos.
Blande puer lumen, quod habes, concede sorori:
Sic tu cæcus amor, sic erit illa Venus.

De HIELLA.

IN me oculos quoties vertit meus ignis Hiella,
Suspirat toties ignis Hiella meus.
Hinc flammæ, quas illa suis jaculatur ocellis,
Me redigunt, auctæ flatibus, in cinerem.

De LICORIDE.

FErt nitido dua poma sinu formosa Licoris,
Illa eadem nitido fert duo fraga sinu.
Sunt mammæ duo poma, duo sunt fraga papillæ,
Poma nives vincunt, fraga colore rosas.
Hæc amor exsugens; valeant (ait) ubera matris;
Dulcius his manat nectar ab uberibus.

De horologio pulvereo.

PErspicuus vitro pulvis qui dividit horas,
Cum vagus anguſtum sæpe recurrit iter,
Olim erat Alcippus; qui Gallæ ut vidit ocellos

Ar-

Arſit, & eſt ſubitò factus ab igne cinis.
Irrequiete cinis, miſeros teſtabere amantes,
More tuo, nullâ poſſe quiete frui.

HIERO. ANGERIANVS.

De Cæliæ furto.

CVm dormiret amor, rapuit clam pulchra pharetram
Cælia; ſurreptâ flevit amor pharetrâ.
Noli, Cypris ait, ſic flere, Cupido; pharetram
Pulchra tibi rapuit Cælia; reſtituet:
Non opus eſt illi calamis, non ignibus; urit
Voce, manu, greſſu, pectore, fronte, oculis.

De Cæliæ dotibus.

TRes quondam nudas vidit Priameius heros
Luce deas, video tres quoq; luce deas;
Hoc majus, tres uno in corpore: Cælia ridens
Eſt Venus, incedens Iuno, Minerva loquens.

Ad imaginem ſuam.

INunc ad dominam, mea imago, nitebis ab omni
Parte quidem; ætherei lux ibi ſolis adeſt.
Cumq; venit tacitis præceps occaſio pennis,
Voce pia quæ ſunt vulnera noſtra refer.
Forſan fiet amans, & ſic mihi parcet amanti;
Et ſic ambobus candidus annus eat.
Sed timeo hoc unum, ne te dum pollice tangit
Exuſta occumbas; ſimus & ambo pares.

Ad pictorem de imagine Cœliæ.

DEle opus hoc, pictor; duplici ne Cœlia flammâ
Nos urat: picta & viva dat ore faces.

GEORGIVS ANSELMVS.

De Sosylo Medico.

DE lanio medicus fit Sosylus: haud nova res est;
Fecit enim lanius, quod facit & medicus.

APOLLO *ad Arachnem.*

INvisa dudum diis, Arachne, quid sacram
Laurum implicas nequissima?
Tenere túne scilicet demens putas
Apollinem quæ fugerit?

IOANNES APOSTOLIVS.

De Laurâ: ad Gasp. Beltranum.

CVR speculum quæris Veneri mea Laura dicârit,
Nec vultus fonti credet, ut antè, suos?
Occurrunt animo Narcissi, Gasper, amores,
Et simili dubitat pulchra perire nece.

Ad Astrologum.

NVnquam te Veneris latere cursus,
Nec Maiâ geniti vagos recessus

Iactas

Iactas, nec coitus latere Phœbes,
Phœbi nec varium laborem & æstus.
Cursus & coitus, perite vates,
Dic cur te lateant tuæ maritæ ?

LVDOVICVS AREOSTVS.

De puero formoso.

EXanimum Paphie puerum miserata feretro :
Eheu talis, ait, noster Adonis erat.

LVDOVICVS BIGVS.

Ad Iustinianum.

CRedebam te forti animo similem esse Catoni,
Sed tibi fœmineum pectus inesse doces.
Fac redeas in te; nec enim convitia quenquam
Sed vitium turpem, Iustiniane, facit.

Ad Flaccum.

IMmensas tremulæ grates age, Flacce, senectæ;
Nam quod debueras nec voluisse, nequis.

Ad Album.

QVo plures ætas tua præcipitatur ad annos,
Hoc tibi majores accumulantur opes.

Ridiculum

Ridiculum nimis eſt, majora viatica cum quis
Præparat, Albe, magis deficiente via.

Ad Linum.

QValiter abducta ſævit, Line, conjuge taurus;
Vt ruit in furias ſanguinolentus aper:
Haud aliter furis inviſos offenſus in hoſtes;
Neglige lædentem, ſic gravis ultor eris.

Ad Maurum.

MAure, tuas jacet ante fores, & ſupplicat hoſtis:
Pœnarum ulciſci poſſe, ſat eſſe puta.

Invidus pœna ſui.

MOrdenti mirare meos me parcere verſus?
Invida ſat gravis eſt mens, Tite, pœna ſui.

Ad Cæcilianum ſuſpicioſum.

NIL famulo credis, nil fratribus, atq; parenti,
Nil audes thalami credere conſociæ.
Quid facis infelix? multi docuere fidelem
Fallere, dum falli, Cæciliane, timent.

Ad Calliſtratum inſipientem.

FOrſitan iraſci tibi me, Calliſtrate, ſentis,
Quòd me mittendum dicis in Anticyram.
Do veniam, neq; te meritò reprehendere poſſum;
Inſipiens omnes mente carere putat.

Ad

Ad Caprum.

TE quereris natum nimis infelicibus astris,
Quòd Fabius multis te premit opprobriis:
Parce, Caper, lachrymis; nec enim convitia quisquis
Audierit, sed qui fecerit hic miser est.

Ad Ponticum.

TOlle tuos monitus & verba diserta: movemur
Exemplis multùm, Pontice, voce parùm.
Namq; loqui facile est, summi at feciſſe laboris;
Si cupis audiri, quæ loqueris facito.

Ad Linum.

SI quibus obrueris mens est explodere pestes,
Est opus esse alium te, Line, non alibi.

ACHILLES BOCCHIVS.

Imago justi judicis.

OLim Pellæus juvenis cum forte sederet
Iudex, & actori alteram
Interea digito prudens occluderet aurem;
Interrogatus à suis
Cúrnam sic faceret? satis est actori, ait, una,
Servo alteram integram reo.

IANVS

IANVS CÆSAR.

Ad Liviam cæcam.

REdderet ut Phœbum vindex Cytherea minorem,
Surripuit fronti ſidera clara tuæ,
Inſeruitq; polo; quibus obſcuratus Apollo,
Deſcendit valles triſtis ad Æmathias.
Livia, ne doleas, juſſu tibi lumina patris
Reddet, luciferum jam Venus ulta Deum.
Nam ſi vix unum poterat perferre peruſta
Terra, duos ſoles qua ratione feret?

CÆLIVS CALCAGNINVS.

Ad Antonium.

MAgna petam, vel parva petam, par exitus inſtat;
Vos dare magna piget, vos dare parva pudet:
At tu, magnanime Antoni, dabis utraq; nobis,
Parvaq; ne pigeat, magnaq; ne pudeat.

Ad ſenem baculo utentem.

QVid baculo moliris iter, quid te magis urges;
Ad mortem gemino non ſatis ire pede?

Inſtructio

Instructio ad mortem.

VT tibi mors felix contingat, vivere disce;
Vt felix possis vivere, disce mori.

Neronis impietas in Matrem.

CVm Nero in exitium properare matris apertum,
Dicitur hâc natum voce rogâsse parens.
Non oculos, non ora petas: pete viscera ferro,
Viscera, tam magnum quòd peperere nefas.

Calendis Ianuariis nivosis.

ECce, cadit toto nobis nix plurima cœlo;
Sic verè niveos dicimus esse dies:
Quòd si qua auspiciis vis est, si credimus illis,
Totus ab auspicio candidus annus erit.

Niobe.

QValis eram me talem opifex effinxit, & olim
Me lapidem factam, nunc lapidem esse vides.

In Eandem.

VIvam olim in lapidem verterunt numina: sed me
Praxiteles vivam red didit ex lapide.

In tumulum Anacreontis.

HEu te, sancte senex, acinus sub Tartara misit,
Cygneæ clausit qui tibi vocis iter.
Vos hederæ tumulum, tumulum vos cingite lauri,
Hoc rosa perpetuò vernet odora loco.

At vitis procul hinc, procul hinc odiosa facessat
Quæ causam diræ protulit uva necis.
Creditur ipse minus vitem jam Bacchus amare,
In vatem tantum quæ fuit ausa nefas.

CANTALICIVS.

De Casello.

NAufraga cum premeret tumidi maris unda Casellũ,
Vovit adorato munera magna Iovi.
Sospes abit; tam vota viri valuere precésque;
Vota sed haud potuit solvere, pauper erat.
Nil dedit ergo miser nisi talia verba Tonanti,
Ampliùs Oce anum si peto, merge, pater.

HIPPOLYTVS CAPILVPVS.

De Lyco.

DVm pugnat Lycus ob patriam, cadit obrutus hastis,
Et matrem aspiciens jam moriturus, ait;
Pro patriâ mihi dulce mori: te propter amarum est:
Hinc atq; hinc gemino victus amore trahor.
Illa gravem egregiâ superans virtute dolorem
Hæc siccis oculis aurea dicta dedit:
Redde quibus debes animam lætusq; libensq;,
Tu patriæ, & cœlo, non mihi natus eras.

In Sanctum Laurentium.

DVm mentem atq; oculos Laurentius æthera in altū
Tollit,& heu flammis membra cremantur: ait,
Quid me flamma voras? sine sensu pasceris artus:
Iampridem æterni me patris ussit amor.

IVLIVS CAPILVPVS.

De Cyparisso & Galateâ.

DVm pulchris Galatea suis micat aurea ocellis,
Purpureisq; genis; hæc Cyparissus ait:
Sola puellarum digna es cui Cypria dicat,
Me superas oculis, me, Galatea, genis.
Hæc contra Galatea: suos Cyparissus amores
Dum canit,& doctâ dum sonat arte lyram;
Tu solus vatum es dignus cui dicat Apollo,
Me superas cantu, me, Cyparisse, lyrâ.

Epitaphium pauperis senis.

PAuper eram; mihi parva domus, mihi vilis agellus,
Et tenui in mensa parva salina mihi.
Non stomacho capitive meo dolor obfuit unquam;
Nec secuit vetulos tarda podagra pedes.
Nec mea sollicitæ vexerunt tempora curæ;
Nec timui parco mixta venena mero.
Sic vixi,& perii; Crœso felicior ipso:
Namq; deesse mihi, nec superesse dolet.

Vt

Vt fuit ad victum jam vivo terra, sepulto
Sic erit ad tumulum nunc mihi parva satis.

M. ANTONIVS CASANOVAS.

De Virginiâ.

PErdere ne posset cum libertate pudorem,
Quàm melius cecidit filia Virginii:
ervat utrumq; cadens: fuerit pulcherrima virgo,
Sed tamen est plagâ pulchrior illa sua.
Dicere jure potest fugiens dispendia vitæ,
Plus enecta patri debeo, quam genita.

De Clæliâ.

SI potuit sacros contemnere Mutius ignes,
Et mihi, ait, sacræ cur timeantur aquæ?
umq; animosa jacit rapidum se Clælia in amnem,
Quem fugio est hostis, quam peto, ait, patria est.

De Attilio Cæsaris milite.

DVm videt abscissæ miles dispendia dextræ,
Sufficiat bello læva superstes, ait.
uam quoq; ut injectat virtus animosa carinæ,
Sorte neq; alterius territus ille pari est;
ctor adhuc, hostem impellens sic intonat ore;
Discite, quos habeant Cæsaris arma viros:
os freta, nos ferrum, nos temnere possumus ignes;
Vincimus absque manu, vivimus absq; anima.

Parthenius

Parthenius.

A Se ſervatum Martiſq; foriq; procellâ
Dum videt in ſe enſem ſtringere Parthenius:
Et dextram & linguam illi offert, atq; inſit, utramvis
Abſcinde; hæc pro te pugnat, & hæc loquitur.

IOANNES COTTA

Epitaphium QVINTERII.

ME longè effigie venuſtiorem
Narciſci, vel Apollinis comati
Parcarum Lacheſis nimis ſevera
Iſti Quinterium dedit ſepulchro.
Cur non floſculus exeam, requiris,
Cum tantùm fuerim puer decorus?
Tellus eſt nimis arida, ô viator,
Noſtri facta peruſtione amoris:
Sed ſi lachymulis tuis madeſcet,
Forſan flos novus ibit è ſepulchro.

IANVS ETRVSCVS.

De Anchialo medico. Ad Gallum.

EXactas poſt quinq; ſibi decieſq; novenas
Meſſes, vivit adhuc clinicus Anchialus.
In tam longa putas protractam tempora vitam,

Dum ſe, Galle, ſuis artibus ipſe juvat?
Falleris; Anchiali nihil eſt funeſtius arte;
Pharmaca dum miſcet, miſcet & illa necem.
Hæc igitur dum mille animas demittat ad Orcum,
Anchiali indoctas quæ ſubiere manus:
Quid mirum eſt illi violentam parcere mortem,
Quem ſibi pro centum falcibus eſſe videt.

FRANCISCVS FRANCHINVS.

De Liviâ oculis captâ.

ANte alias formâ pulcherrima Livia Nymphas,
Ipſa eſt in terris inſidioſa Venus:
Quòd ſit capta oculis caveat ſibi quiſque; Cupido
Cæcus erat tantùm, nunc quoq; cæca Venus.

Gauro grammatico.

TRes nati ſunt, Gaure, tibi, mas, fœmina, neutrum:
Gratulor, eſt ſoboles congrua Grammatico.

CYNTHIVS GYRALDVS.

De ſuo amore.

EXuror glacie in media, dumq; uror, in igne
Algeo: cur patior hæc mala quæris? amo.

In

In Lycum.

NArciſſus liquidis dum ſe ſpectabat in undis,
Ipſe ſui (hei) miſero victus amore perit.
Nunc tua fortè tibi ſi occurrat triſtis imago,
Infelix, odio mox moriare tui.

BENEDICTVS IOVIVS.

Soliſequa.

VErtor ad occaſum, rurſus convertor ad ortum,
Solis amo radios; an mihi ſenſus ineſt?

Alauda in caveâ.

ASperius nihil eſt vinclis, & carceris antro:
Solvite me miſeram, ſolvite, dulce canam.

LAVRENTIVS LIPPVS.

De certamine Zeuxis & Parrhaſii.

FAllit aves Zeuxis, Zeuxis deluditur arte
Parrhaſii: volucres hic capit, ille virum.

Elephas.

QVis tollet ſuperos? quis numina ſancta negabit?
Cum fera perpetuos ſentiat eſſe Deos.

MAX

MAPHÆUS BARBERINVS *nunc* Vrbanus P P. *Octavus.*

In fontem miri artificii.

LArgior angustâ primùm defertur in auras,
Inde magis latâ subsilit unda viâ:
Exprimit hinc patulum tenui cratera liquore;
Quid gelidam sitiens non bibis hospes aquam?
Nam cui lympha sitim mira non provocet arte?
Ipse calix lympha est, ipsaq; lympha calix.

In statuam Niobes.

BIs septem Niobe natis, orbataq; charo
Conjuge sum, ducto facta rigore lapis.
Ecce tamen spiro: nec enim de marmore finxit
Me faber, at vitæ reddidit arte nova.
Omnis inest sensus, nec linguæ deficit usus;
Sed taceo, timeo nam magè cauta loqui.

In statuam Dianæ dormientis ad fontem.

MArmoream ne crede: levem leni aëra motu
Ducit, & in vivo spiritus ore sonat.
Non audis? simili sopitæ murmure murmur
Confundens, aures garrula fallit aqua.

In cultum muliebrem. è Græco.

QVid pulchram medicas faciem, collumq; lapillis
Cingis, & effuso spargis odore comam?

Aspice nativo rutilant ut poma rubore!
An rosa pingentis pollicis optat opus?
Mitte supervacuos cultus, fucúmq; genarum:
Acrior est illex, qui caret arte, decor.

Distichon Ausonii Græcè translatum.

INfelix Dido nulli benè nupta marito:
Hoc pereunte fugis, hoc fugiente peris.

Ὄυδενι ἓυ ἀνδρῶν ἐγαμήθης, δύσμερε Διδὼ,
Τοῦ φύγες ἐν θανάτῳ, τοῦ δε φυγῇ ἔθανες.

GEOR: CAMERARIVS.

Fastus inconsultus Alexandri qui Jovis filius dici voluit.

DE cœlo repetit stirpem qui vicerit orbem,
Et cupit imperio non minus esse genus.
Maxime dux Macedum, cornutus Iupiter Hammon
Si pater est, matrem quis neget esse lupam?

Cupido in nive.

SÆve puer, perdis dominas in grandine flammas
Prodigus, & medium frigus amare doces?
Credibile est tandem quod nix quoq; discat amare,
Tam subitò lachrimas fudit & illa suas.

Nobilitas sub amore jacet.

Phœbus equos, tigres Lenæus flectit, at unus
Iure premit famuli terga leonis amor.

Audac

Audaces galli cantum timuere leones;
Nocturnus vigilem sic amor horret avem.
Vtq; leoninis nullus fluit ossibus humor,
Sic nobis demens ebibit ossa Venus.
Sed leo dum dormit, nunquam sua lumina claudit;
Non somnum, captat somnia quisquis amat.

MARIVS BETTINVS.

Christus in picturâ nudipes.

VOsne polos calcare pedes, & sydera sueti,
Ducitis ah nudos dura per arva gradus?
Anne parùm quæ dira manent vos vulnera ferri,
Sauciet attritu ni quoq; dura silex?
Tu pedibus pennata sacris gens ætheris alti
Subjice sydereas obsequiosa manus.
O ego flos fierem! saltem calcatus, haberem
Vt sub marmoreo viva sepulchra pede.

Christi angor in horto. Ad Ioannem.

VNdiq; sanguineo Christi manantia rore,
Poplite succiduo, frigida membra jacent.
Brachia, Ioannes, cervici prona labanti
Subde, tuæ proprium subdidit ille sinum.

Adultera Evangelica.

QVid trepido suffusa genas pallore nitentes
Despicis acclinem, mœsta puella, Deum?
Miraris vario pingentem sydere cœlum
Pulvereis dextram fingere verba notis?
Huc egêre tuæ scribentem crimina labis:

Sed tamen in putri perlegis illa solo,
Mox abolenda; levi spirent suspiria vento,
Gutta vel ex oculis incidat una tuis.

B. Virgo amisso filio queritur. Oseuletur me oseulo oris sui.

PAnge suaviolum, puelle, matri
Præ desiderio tui labanti.
Animum fugiens mi sui' punsti;
Hunc ut exanimum per os reponas,
Pange suaviolum, puelle, matri.

B. Virgo puellulo Iesu violas.

TV qui floseulus es campi,
Vallumq; lilium;
Tibi, nate, quas eburnâ
Vngues falce messui,
Mollicella rubicundas
Cape manu violas:
En diductis ut labellis
Pene risu gestiunt,
In eburneum serendæ
Tuæ manus vasculum.

Apes in D. Ambrosii infantuli ore.

POETA. APES.

Po: DIcite, num pueri volitâstis in ora daturæ,
An magè rapturæ munera mellis Apes?
Ap: Rapturæ: nam nostra cohors illusa labellis
Advolat, hybleas dum putat esse rosas.

Myconi

Myconis piſcatoris tumulus.

PIſcantem niveas liquido ſub marmore gemmas
Hauſta, Mycon, Stygius te dedit unda vadis.
Extractum ſocii duro ſub marmore ponunt,
Quo velut in conchâ condita gemma lates.

Baptiſta puellus prope fontem in Eremo.

VIden' ut vitreæ
Saliens lymphæ
Fonte pumiceo
Gelidus humor
Fornice concavi
Frangitur antri?
Viden' ut tenui
Depluens nimbo,
Capita mollium
Curvata florum
Leviter gemmeo
Rore conſpergat?
Quaſi te, puſio,
Baptiſma docens.

IESVS *lactens.*

HUmentes oculos lactentis in ora puelli
Declinat tacito fixa dolore parens.
Gemmaq; per niveas dum volvitur uda papillas,
Mixta puer lachrimis lactea dona bibit.
Sic tibi, virgo, ſinus lachrimantur & ubera; lactant,
Vbera ceu fronus, lumina rore Deum.

IESVS *lactens.*
Qui paſcitur inter Lilia &c.

PVpule virginei
Sinus inter lilia
Inſtar agni paſceris.
Idem es virgineæ
Suave vallis lilium.
Vivum nempe lilium
Viva paſcunt lilia.

Flores in Calatho.

MOPSVS. DAMETAS.

Mop: VIrgato geris quid, Dameta, calatho?
Frondosa tolle tegmina.
Da: En picturatos veris fructus, flosculos
Nuptura fero Thyrsidi.
Mop: Ah facinus! tun' ausus es incidere
Tam bellos prati alumnulos?
Da: Vltrò legenti semet ipsi dexteræ
In prona dabant oscula.
Mop: Ah nunc quasillo velut in feretrulo
Pallent miselli exanimes.
Da: Quid? odorato respirantes halitu
In torulo ceu dormiunt.

Lycidæ tumulus.

CEspite in hoc tumulum, viridiq; in cortice carmen,
Suetus ad hoc pastum ducere gramen oves,
Pastor habet Lycidas: urnam propè fluminis urnam,
Suetus ad hoc potum ducere flumen oves.
Æthere mens felix per lucida prata vagatur,
Phryxeámq; novo lumine pascit ovem.

LOTHI *Vxor salis statua.*

VIdit ut obductâ Lothus sub caute rigentis
Aversa aversus conjugis ora suæ:
Molitus lachrymis saxi mollire rigorem,
Oscula compressis legit ab ore labris.
Summaq; cum salsos libasset lingua sapores,
Serò, ait, heu serò post tua fata sapis.

Elepsydra

Clepſydra horaria è lachrymis.

TEmpora quæ gemino metitur turgida ventre,
Et gerit incluſas vitrea pyxis aquas,
Hanc tepido implerunt manantia lumina rore,
Dum dolor effuſis fletibus ora rigat.
Hinc lachrymis quæcunq; mihi deducitur hora,
Hinc didicêre meis tempora flere malis.

Puelluto Jeſu à matre munuſcula: Fraga.

CApe fraga rubentia
Munuſculum, puellule;
Hæc ut labellis triveris,
Mandes fragula fragulis.

Malum Perſicum.

HOc habe luteolum,
Belle puer, pomulum.
Quod ſi probè perſpicis,
* Cor in fructu percipis.

**Perſicum pomum figura refert Cor.*

Alveoli.

ALveolos, & Mella, & Apes, mellite puelle,
Ruſtica floriferi munera ruris habe.
Floridulo poſthac apibus ſis hortulus ore,
Eq; tuis diſcant ſugere mella labris.

Agnellus.

NE tibi ſub mediæ cognatum frigore noctis
Lanigeræ fœtum deſpice munus ovis.

Tu quoq; es innocuus, tenero q; ſimillimus agno:
Hinc tibi pro cunis vile datur ſtabulum.

MOSES *infantulus aquis commiſſus.*

FLumineâ dum mœſta parens exponit in unda
Vimine clauſa ſui viſcera cordis, ait:
Si naufraganti favet innocentiæ
Aſpirans aura cœlitùs,
Et portum parat, habes, nate, cymbulam;
Si negat, habes feretrum.

Eidem ab aquis incolumi mater.

EN tenes tandem, mea vita, incolumis
Materni portum pectoris.
Perire, ô chara merx, haud uſquam poteras,
Cui læta fronte radiant
Gemello Caſtore, & Gemello Caſtoris
Sereniores flammulæ.

D: PETRVS *per mare pedes.*

ERgon' ora petiturus
Vitæ, mortem oppetam?
Ah me ſaltem æſtuoſi,
Chriſte, fluctus evehant,
Præbet ubi littoralis
Vnda tibi ſpeculum.
Ibi felix fluctuantem
Oris tui effigiem
Moriturus oſculabor;
Oſculatus moriar.

D:

D: SIMEON *ad Iesum infantulum quem in ulnas accepit.*

DVm, mi Deus, fulgurantes
Ore risus aperis,
Et suaviolum petenti
Mi labella porrigis;
Mens extremas fugitura
Oris oras attigit:
Iamq; abisset; at in vitam,
Dum periret, incidit.

NISI *piscatoris tumulus.*

HInc tibi florentes ejectant æquora gemmas,
Hinc tibi gemmantes florida terra rosas.
Debita, Nise, tuo sunt utraq; dona sepulchro;
Æquorei fueras gemmaq; floſq; chori.

D. Baptista in eremo.

POETA. BAPTISTA.

Poe: CVltor antri, quem te vocem?
Bapt. Audin'? antrum reddit; vocem.

In IVDAM.

MOrte quid efficies, si fers fera fata salute?
Oscula si feriunt, vulnera quid facient?

In Christi Circumcisione mater lachrymans.

MIraris, mea vita, oculos me ferre madentes,
Dum tuus immiti vulnere sanguis abit?

An tu non mea lux, an non mea pupula, nate, es?
Quî mihi læ datur pupula, nec lachrimer?

MARIÆ *infantulæ præsentatio.*

Oculi tui columbarum &c.

ANNA. SACERDOS.

An: HVnc venustulum verendo
Conde sinu pupulum,
More avito regnatori
Offerendum cœlitum.

Sacer. Vbi agnellus, aut columbæ?
Vbi munus turturum?

An: Ipse pupus est columbus.
Ne te lusum dixeris,
Hosce tantùm vide ocellos:
Annon hi columbuli?

Ad Christum vulneratum.

VUlnera mille tibi, mihi sint rogo lumina mille;
Flumine mî fletus, seu tibi sanguis, eat.
Si tamen haud tanto dignaris corda dolore,
Sit mihi, sit saltem non doluisse dolor.

In vinosum.

QVid Biberium Meronem
Dente roditis canino?
Nil est illo mage frugi,
Vitam ducit doliarem.

In noctem Christi natalem.
Nox sicut dies illuminabitur, &c.

QVid ni diem nox datura,
Verum solem paritura?

ABDON *Fœnerator,*
Unus è pastoribus qui Christum in præsepio invisere.

BEthlemius dum lacte novo cunabula Christi
Munerat, his Abdon oneravit munera dictis:
Fœnerat hæc Abdon nivei tibi pocula lactis,
Fœnora restitues æterno nectaris hausto:
Nempè piè Iudæus erat.

D. IOANNES *supra pectus Domini recumbens.*

ERgòne de nostro quisquam te prodere cœtu
Ausit in hostiles, ô mea vita, manus?
Hei mihi, deficio, subitoq; dolore labascunt
Membra, soporiferâ lumina nube latent.
Forsan & hîc placidi morerer sub imagine somni,
Si quis in hoc mortem possit obire sinu.

Deus puellulus in præsepio.

QVi rutilo quondam scindebas fulgure nubes,
Modò risu fulguras?
Qui volucri curru magnum per inane tonabas,
Modò vagis stabulo?
Æthere qui mixtos fundebas grandine nimbos,
Modò mades lacrimis?
Vnde nova hæc facies morum mutata repentè?
Nunc humanus Deus es.

Capra

Capra Syra.

CORIDON. LYCIDAS.

ME miserum! fœtas I nunc emunge capellas,
Scilicet emunctâ pòst potiere dape.
En hæc spumanti modò quæ mulctaria lacte
Complerat, niveas calce profudit opes.
Te lacerent, ô hirta, lupi. *Lyci*: Compesce dolorem:
Aurea secla seris; flumina lactis eunt.

Delphines.

ASpice tranquillo cõludunt æquore pisces,
Et simulata levis prælia miscet amor.
Squammea delphines lunantes dorsa per undas,
En simulant arcus pectora, tela fugâ.

Miles glorioſus.

PASTOR. SATYRVS.

Pas: QVis hic, cui ventilatis altè fulgurat
Cristata pennis galea?
Saty: Inanis tibi levitatem capitis
Alata prodant tegmina.
Cum pugna manus poscit, pedes explicans
Ex Marte fit Mercurius,
Et induit talaria.

Christus adeuntes Emaus.

QVo vos (ah miseri) quo vos pastore perempto,
Seu male palantes avehit error oves?
Mœsti animis: comitem qui se narrantibus addit,
Vestrâ in fabellâ non lupus, agnus adest.

Ad

Ad IUDAM : *dum* CHRISTVS *pedes eluit.*

AN malè quæsito quòd pes tibi sordet ab auro,
Sacra superfuso diluit imbre manus?
An magis extremos meditantem ex arbore saltus
Detinet errantem præscia dextra pedem?
Felices pedicæ! plantas his comprime vinclis,
Incurrat miseros ne caput in laqueos.

Philomelæ partus.

FElix, populeâ quæ fœtum enixa sub umbrâ,
Dulce sonas vario gutture carmen, avis;
Implumes natos blando Tithonia risu
Aspicit, & liquidi munere roris alit.
Insomnes agitat nidos, lenisq; susurro
Næniolam pullis accinit aura tuis.

Tesseræ lusoriæ.

QVæ vagus Adriacis tumulârat fluctus arenis
Naufraga piscator nos legit ossa Mycon.
Nec requies post fata datur: iactaverat undis
Nos ratis, urna brevis buxea iactat adhuc.
Hic nova tempestas rixantibus excita linguis
Nos premit, irati sævior ore maris.
Fallitis, an tacito fallunt vos tempora lapsu
O miseri? mortis nostra nec ossa monent?

DEVS *infans in præsepio.*

VIcisti, mirâq; tui luctaminis arte,
Dive amor, ad terras decidit ecce Deus.
Ah tenero molles alarum suggere plumas,
Et refove admotâ frigida membra face.

Nam

Nam pacem, non ille facem; nec detulit alas,
Ne procul hinc noſtris avolet ex oculis.

Flos NARCISSUS *araneâ obvolutus.*

ORa quid obnubis tenui Narciſſia velo,
Laborioſa Arachne?
Heu ſerum moliris opus: velanda fuerunt
Cum ſemet arſit undis.

In D. BAPTISTAM *puellum in Eremo dormientem.*

NOcte puer ſub ſerena
Soporatus occubat.
Dumq; flavulis comarum
Ros cincinnis incidit,
In aureolis videtur
Gemma micans annulis.

Sacrum CHRISTI *cadaver in ſinu matris.*

LAnguenti dum membra ſinu labentia mater
Exanguis nati ſuſtinet exanimis:
Alter ſic labens eſt verè mortua vita,
Altera ſic languens mors propè viva fuit.

In THOMAM *Apoſtolum.*

SI tibi, ni rebus fuerit firmata videndis,
Non erit ulla fides, non erit ulla fides.

NARCISSUS *secus fontem. Ad* TITYRUM.

LActeolúmne vides Narciſſi, Tityre, florem,
Quem nitidus viridi fons alit ille toro?
Aſpice ut antiquæ referens incendia flammæ
Nunc quoq; ſe vitreis ſpectat amator aquis.

Ad eundem.

REſpueras Ecchum; ſed te nova corripit Ecchо:
Illam aër, oculis hanc dedit unda tuis.
Illa tuæ vocis, formoſi hæc mimula vultûs:
Te perit illa, fugis; te fugit iſta, peris.

ERICIVS PVTEANVS.

Viventis & mortui diſcrimen.

QVid eſt homo? quid vivum & inter mortuum
Diſtat? mori iſte cæpit, & ille vivere
Iam deſiit: vitæ neciſq; nexus eſt.
Quicunq; vivit, parte magna eſt mortuus.
Sed vivit ille qui mori ſe intelligit,
Puramq; vitam æternitati conſecrat.

Ad pallorem

OFelix nimium, ô beate pallor;
Places virginibus, placeſq; nuptis.
Virgo nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Nupta nec lepida eſt, nec eſt venuſta,
Quæ non pallidula eſt: colore mortis
Et vir quæritur, atq; mox adulter.

O felix nimium, ó beate pallor!

Mensa ebria.

QVæ rerum facies, deliræ gaudia mensæ,
Cum trahit insomnes furiis turba ebria noctes?
Strata cibiq; madent, atq; irritatus Eoo
Liber diluitur succo: placet ingeniosa
Omnibus ebrietas, placet exantlanda voluptas
Vini, & libatæ spumantia vota salutis.
Garrula lingua madet, verbisq; licentior aures
Sollicitat bibulas, ducitq; in fœdera luxum.
Tende manus: tremulo submittit pocula gestu
Herculea, & pleno affectum ructatur ab ore
Ille tuus; non ille tuus, qui vincla caducæ
Nectit amicitiæ, & fucato exæstuat igne.
Hæc tibi flamma mero constat, Cereriisq; fovetur
Delitiis, moritura pari quo solstitialis
Defectu herba solet; facili nil semine durat.
Tu tamen obsequere, & fugitivo viscera amori
Hospita tantisper laxa, dum fervet Iacchus.
Obsequere, & valido nisu submerge profundis
Luctantem cyathis animum: sic prolue pectus,
Vt tumidi stillent oculi, salsisq; dometur
Aura meri lachrymis. Sitit, & bibit Euchius ipse,
Et bibitur, lassas violato rore medullas
Convivæ subiens, & fracti regna furoris.
Te furere haud satis est, simili nisi vulnere fortem
Ἀντίπαλον æternas, & læsæ præmia mentis
Suspendas dubio temulentus Symposiarcho.

Imago pueri è scholâ à militibus abducti.

TAlis eram, primi cum flos mihi serperet ævi;
Nondum aptus vinci, captus & ecce fui.

Sic duci à patriis miſerum eſt ariſq; focisq;;
Muſarum è gremio, bis miſerum eſſe reor.

Vera pulchritudo.

VEnantis oris purpura,
Honoſq; frontis & decus
Perenne pulchritudinis,
Quid ſit rogas? modeſtia.

Adulteræ ad IVNONEM *fictæ preces; cui maritus ſe putábat in tenebris naſi orbiculum præcidiſſe.*

REgina noctis, uda lampas ſiderum,
Pictiq; mater ætheris:
Seu luno vis Lucina dici, ſeu Iouis
Conjux tonantis, & ſoror.
Tantum vides miſerrimi nefas laris,
Lætiſq; luces cornibus?
Et vos micantes cœlo ocelli, lucidæ
Faces, & innocentiæ
Teſtes meæ, diræq; ſortis arbitræ,
Horrore non palleſcitis?
En nuda, vincta, ſecta, non meum luo
Crimen, torum nec pollui;
Et immerentem perdit ira numinum?
Quid ergò ſanctitas juvat?
Effugit omnis & venuſtas & lepos;
O dii, deæq; larva ſum!
Effugit omnis umbra nominis boni;
O dii, deæq; nulla ſum!
Pudica mente, mœcha vultu, criminis
Probrum nefandi mentiar,

Sum-

Summæ nâni pars pudenda fornicis
Nec uxor unius viri.
Quid mæsta vivo? Et integram quid horrida
Imago mentem detinet?
Mori juvat: peribo casta, vivere
Si pulchra vitam non queam.
Mori juvat: manu cruenta masculam
Quæro necem. Sed occidi:
Non posse, cum velis, mori, id verè est mori:
Plùs vinculis vir sæviit.
Beata ferro nobili Lucretia,
Testata conscientiam,
Quæ spiritum sui in sinum fudit viri;
Pudica, quòd potuit mori.
O Hera, redde pristinum famæ decus,
Quæ fœdo hiatu mergitur!
Et suspicacis plecte culpam conjugis,
Trucémq; ferri insaniam;
Quæ templa labe vindicasti cœlica,
Summo severa adultero.
O redde, quod furentis abstulit manus,
Manus mariti carnifex,
Ausi tuum calcare numen, ô dea,
Et numinis præsentiam.

In imaginem mortis.

HÆc una imago est omnium
Quot sunt, fuêre, quotq; erunt.

BALTHASAR BONIFACIVS.

Ad poetam HETRVSCVM.

NOn huc furatum venias, Hetrusce poëta;
Furibus oblatrat pro cane Momus; abi.

In Zoilum.

OMnes quotquot amo, pereunt. Te, Zoile, quamvis
Sis odiosus, amo; scilicet ut pereas.

De PHYLLIDE.

PHyllida complectens, avido temerarius ore
Carpebam è rosijs quàm bona mala genis.
Tunc oculi tanquam gemini exarsere dracones;
At ego; nil agitis, sumpsimus antidotum.

Ad POLYDORVM.

PRo jaculis, Polydore, suis (nisi falleris) amplam
Ex isto pharetram pectore fecit amor.
Miror: tune potes lacerato corde valere,
Cum sic te physici vivere posse negant?
Concidit omne animal trajecto corde: sed unus
Omnibus ex istis excipiendus amans.

In PHYLLIDA.

LÆtitiâ quoniam nimiâ plerosq; perisse
Novimus: ut moriar, me mea Phyllis amat.

Ad

Ad LYDAM.

LActe licet sint alba magis collecta liguſtra,
Dens tibi candidior, candidiorq; cutis.
Et roſa, tincta licet tyrio sit murice, cedit
Purpureis labris, purpureisq; genis.
Omne decus Charis una tuum superauget, & omnis
In te, Lyda, color pulchrior efficitur.

Ad PHYLLIDA.

INſulſa, Phylli, judicantur oſcula,
Quæ ſponte nobis porrigis:
At ſi coacta niſui reniteris,
Sunt dulciora nectare.
Catis amantibuſq; rectè convenit,
Quòd rapta præferunt datis.

Ad TESTYLVM.

TEſtyle, nemo poteſt celare Cupidinis ignes;
Tuſſis, amor, ſcabies ſunt manifeſta mala.

Venalis amor.

ESt venalis amor: monopolia Cypris amorum
Inſtituit: nemo nunc, niſi dives, amet.
Heu quid non auro voluit fortuna licere?
Auro vendi & emi vel Deus ipſe poteſt.

Ad PHYLLIDA *vinum miniſtrantem.*

QVamvis egregiè madeo, mihi pocula præbes;
Scilicet ut creſcat, Phylli, furore furor.
Æſtuat in cyatho pelagus, mox littus ad ipſum
Fluctibus

Fluctibus allisis, spuma resurgit ovans.
Quàm pulchræ dulci veniunt ex æquore spumæ,
E quibus en iterum nascitur alma Venus!

Ad PHYLLIDA.

SAcchara pyramidum formas imitantia, donec
Trita minutatim pulveris instar erunt,
Pincit eburna manus. Dulci cum, Phylli, pruinâ
Hac irrorabis fercula, manna pluet.

Ad eandem.

FRigida strinxit hyems fluvium, ne lintea possis
Tergere: sole tuo, Phylli, resolve gelu.
Vel summo glaciem digito si tangis, amore
Bulliet, aut certè, Phylli, tepebit aqua.

Ad eandem.

VErre pavimentum; saliat ne pulvis in altum
Vndiq; spargat humum gutta cadentis aquæ.
Ecce lithostrotos lapides mutare lapillis
Incipit, & gemmat sub pede, Phylli, tuo:
Imò, tuis plantis ut bino sole fruatur,
Se cupit æthereum supposuisse solum.

In PHYLLIDA *luscam. Ad pictorem.*

DÆdale, ne dubites faciem depingere luscam
Phyllidos; ejus enim vel mihi menda placent.
Phyllidi lævum oculum, non ut deformior esset,
Certa sed ut figat spicula, clausit amor.

In PHYLLIDA.

PHyllis habet maculas: maculas dum Phyllis habebit,
In cœlo ſtabunt ſydera pro maculis.

In PHYLLIDA.

NÆ, mea Phyllis amat: ſubitò palleſcere, ſignum
Eſt φιλογαμίας; pruna ſubeſt cineri.
Sed tamen aucta ſuo creſcit pallore venuſtas,
Nec facies forſan pulchriùs ulla rubet.
Pallet & argentum, rubro pretioſius ære;
Pallida luna magis quam rubicunda placet.
At mors pallet atrox: ſi ſic mors horrida pallet,
Pulchra eſt; & tali morte perire juvat.

Κακογάμιον.

HAnc eſſe rerum peſſimarum peſſimam
Cognovit ille Belga, cujus nuptias
De more patrio petente virgine,
Cum jam ſecuris immineret; maluit
Patibulum præferre matrimonio:
Et capite caruit, ut careret cornibus.

In Momum.

OMne duplex tua ſimplicitas ſyncerior igne
Odit; nec cinni, nec tibi mulſa placent.
Hinc ego diſpliceo, quod verbis Græca latinis
Miſceo: ſed doctis miſta placere ſolent.
Nam poterat genuiſſe virum, genuiſſe puellam,
Et tamen androgynon Mercurius genuit.

In SOCRATEM.

ISqui, Phœbe, tuo ſapiens fuit ore vocatus,
Me nil ſcire ſcio dixit, & hoc fateor.
Scire tamen ſe ſcire nihil, poſſibile non eſt;
Stare ſimul nequeunt, hoc ſcio, nilq; ſcio.
Cautior Arceſilas, cum ſe nil ſcire putaret,
Hoc tamen ut certum noluit aſſerere.

In malum Poetam.

DVm recitas convolvor ego, dormitat Oreſtes,
Oſcitat Hermogenes, pandiculatur Acon.
Hoc mulæ dulcedo facit; Syrene loquente
Quilibet aut aures obſerat, aut oculos.

In Aſclepiadem philoſophum.

POtio prima viri ſitientis vita, ſecunda eſt
Lætitia, ebrietas tertia, quarta furor.
Hæc Aſclepiades ſi vult me lege tenere;
Næ mihi potandum eſt calpare, non cyatho.

In ZOILOS. *Ad amicum.*

SCire cupis, quicunq; legis, cur ſciſſa lacerna,
Totq; foraminibus cur mihi veſtis hiet?
Me bipedes carpſere canes, quod inermis abivi;
Obſecro, ne panem porrige, ſed baculum.

Ad MOMUM.

NE tumeas, ne, Momus ait, mendice, triumphes;
Pauta, nec illa quidem propria pauper habes.

Cur

Cur mihi, cur misero dura exprobratur egestas?
Pauperies vitio cur mihi, Mome, datur?
Me pietas, te furta juvant: alienus utrumq;
Panis alit; sed enim tu rapis, ipse peto.

Ad OVIDIUM.

PAuper ubiq; jacet, dixisti, Naso; sed ecce
Nos interdixit Zoilus igni, & aqua.
Sponte libris inimica meis elementa relinquam;
Zoilus hæc habeat: sit mihi terra satis.

Ad PHALLUM.

MEndicum me, Phalle, vocas; miserabilis ipse,
Cui fuerit plusquam pauper uterq; parens.
Si, velut affirmat geminata negatio, dicet
Duplex paupertas, Phalle, beatus eris.

Ad MARCUM.

PErpetuò saltas, nullo tibi, Marce, sonante;
Nam tibi pro cithara, Marce, crumena sonat.

HELLUONIS *Epitaphium.*

VEnter edax, gutturq; bibax tumulo jacet isto;
Ac tumulatus adhuc esurit, atq; sitit.
Quid fuerit rogitas? Haud vir fuit iste: quid ergo?
Carneus iste cadus, viva culina fuit.
At vixit? minimè: sed ne putresceret olim,
Dii dederant animam, quæ salis instar erat.

In TITUM.

VIr pelle tectus belluarum maximæ,
Insulsior cucurbitis & crassior,
Est mortuus nuperrimè plusquam senex;
Magnumq; climactera sensit ultimum
Ætatis annum: sicut & novissimum
Illum viri sensere sapientissimi,
Plato, Xenocrates, Diogenes, Eratosthenes.
Orem novo miraculo mirabilem,
Sapiens fuit nunquam Titus nisi moriens!

PAMPHYLI *sepulchrum.*

PAmphyle, totus amor fueras, lachrymisq; sepulchrum
Irrigat hìc tecum semisepultus amor.

De Charicli tâ *moribundâ.*

SYdereos oculos, qui soleni lumine vincunt,
Claudere non posset mors, nisi cæca foret:
Emoriar, nisi mors ipsa emoriatur amore,
Istos si videat sydereos oculos.

Ad PHYLLIDA.

COnjugis ad tumulum veniens, nec, Phylli, corollas
Fers, nec odoriferâ grandine spargis humum.
Sed tantum effundis lachrymas, & respicis urnam
Quâ mors delicias condidit atra tuas.
Protinus erumpunt flores tellure: vigorem
Roris habent lachrymæ, solis habent oculi.

In CAMPÆ *virginis nuptias ad* RAIM: *ſponſum.*

QVos Fabius campos, & quos Seranus aravit,
His magis ingenium tu, Raimunde, colis.
Nec poteras uti campo meliore, nec iſte
Campus ab agricolâ nobiliore coli.
Sponte ſuâ produxit, adhuc intactus aratro,
Omne genus florum, quos Venus alma legit.
Attamen, ut fructus ſuccedant floribus, illum
Prolifico vegetus vomere ſulcat hymen.
Ex illo ſeges heroum naſcetur, & ipſe
Alter Agenorides arma viroſq; ſeres.
O te felicem; tu, quod vix contigit ulli,
Iuiſti campos vivus ad Elyſios.

HIERONYMI CORNELII *convivium.*

NObile ſympoſium præbes, Hieronyme, gaudet
Æthere quæſitis menſa referta cibis:
Nam velut hic Heroes edunt, Heroes eduntur,
Nec prohibet pietas quin laceremus Ityn.

Ad SECUNDVM.

COnveniens tibi nomen habes, quia ſede ſecundâ,
Nempe Maro primâ, docte poeta, ſedes.
Non ſit Virgilius, ſteterat quicunq; priore
Sede, ſecundus erit, tuq; Secunde prior.

Ad SCALIGERUM.

NIl elegantius, nec emendatius
Tuis jambis, Scaliger. Si dramata
Componis, admiramur, obſtupeſcimus,

Lætis theatra plausibus circum sonant.
Si fretus ergo isthac lyrâ perrexeris
In Tartarum, placaris implacabiles
Plutonas, alter Thrax: & is, qui creditur
Iambicâ perîsse amarulentiâ,
Iambicâ revixerit dulcedine.

Ad PAULUM.

PHœbi labellum, Paule, suadæ corculum,
Christiq; vox, sanctiq; præco spiritus:
Cessere primas principes facundiæ
Tibi Pericles, Hercules, Hegesias.
Nam, seu nocentes vultuosus increpas,
Delubra concutis, tonas, & fulguras:
Seu blandus obsecras, catenas aureas
Ex ore mittens, implicatos auribus,
Vltro coactos audientes pertrahis:
Seu porrò cœlitum beatitudinem
Ostendis, injicis necis cupidinem
Vitæq; tœdium: nec ullus pulpitum
Te vel disertior, vel eruditior
Ascendit unquam, Paule, deme Apostolum.

De eodem. Ad auditorem.

TIbi, quod Augustinus, augustissimus
Dictionis author Christianæ, optaverit
Audire Paulum fulminantem, contigit.
Aurem sacrâsti: ne profanos audias
Posthac loquentes, præstat obsurdescere.

Paræmia.

FÆmina, nux, asinus. non sunt sine verbere frugi.

In quandam.

TEr decieſq; ſuum renovavit Cynthia cornu
Vt piger in tumido ſtat tibi ventre puer.
Haud puer ex iſto naſcetur ventre: quid ergo?
Si properas, aſinus, ni properas, elephas.

Hirundo in ſinu Medææ *nidificans.*

INſidioſa viro, natis inimica, parenti
Impia, dum vixit, mortua facta pia eſt.
Nunc aliena fovet, quæ tunc ſua pignora ſcerpſit;
Tunc de carne lapis, nunc caro de lapide.

Ex M: Terentio Varrone.

ESt etiam juvenis bulla, quid ergò ſenex?

Ad Eunuchum.

NÆ, tu ſic ſemper verax, Eunuche, fuiſti,
Vt ſit habenda tibi, vel ſine teſte, fides.

De PHILLIDE.

DVm puero Cytherea parens blanditur amori,
Igniculum niveo dum fovet illa ſinu;
Rumpit amor tenui religata monilia filo,
Demulcens tenerâ candida colla manu.
Tum reſpergit humum longè pretioſior imber,
Achriſioneâ quàm pluit arce Tonans.
Diva legit ſparſas intento lumine gemmas;
Omnibus inventis margaris una deeſt.

Suc-

Succenſet nato genetrix, & ſtigra minatur,
Iratam metuens avolat inde puer.
Et roſeo dentem divellens Phyllidos ore,
Quem, dèa, perdideras, unio dixit adeſt.

THOMAS MVSCONIVS.

De VICTORIA COLVMNA *uxore* MARCI DAVALI.

NOn vivam ſine te, mi Brute, exterrita dixit
Porcia, & ardentes ſorbuit ore faces.
Te, Davale, extincto dixit Victoria, vivam
Perpetuò mœſtos ſic dolitura dies.
Vtraq; Romana eſt, ſed in hoc Victoria victrix,
Perpetuo hæc luctus ſuſtinet, illa ſemel.

FRANCISCVS GAROLA.

De puero armato.

MArs Venerem, Martemq; venus dum quærit, uterq;
Quæſitum, viſo te, reperiſſe putant.

RAPH: MACENTINVS.

De LYCO.

CAndidior cur barba Lycus ſit crine rogatus,
Sæpè fatigor, ait, gutture, non cerebro.

De DORO.

SVm, Dorus inquit, mense natus septimo:
Interrogatus, sciret illud quomodo;
Citius maritum non habebat, ait, parens.

THOMAS PORCATIVS.

In Christum crucifixum.

PRo servis dominus moritur, pro sontibus insons,
Pro ægroto medicus, pro grege pastor obit.
Pro populo rex mactatur, pro milite ductor,
Pro opere ipse opifex; proq; homine ipse Deus.
Quid servus, sons, ægrotus, quid grex, populusq;,
Quid miles, quid opus, quidve homo solvet? amet.

BAPTISTA SPAGNOLVS.

Infans à lupo invasus.

FErt lupus infantem prensa cervice; pater se
Proripiens nati pendula crura tenet.
Dum rapit inde fames, pietasq; ardentius istinc,
Heu tulit hic truncum corpus, at ille caput.

ANTON

ANTON. TEBALTIUS.

De filiâ patrem ſervante ante partum.

SErvatura patrem, ſtrictis ſeſe enſibus offert
Iam paritura, ſi nul jam peritura parens.
Infans percuſſa illæſus fortè exit ab alvo,
Haud mala paſſurus matris inulta ſuæ.
Iſta ſuum hæredem pietas habet; haud peritura eſt,
Tam benè quæ periit, tam bene quæ peperit.

CÆSARI.

GLoria vincendi juncta eſt cum milite, Cæſar,
Cæſar, parcendi gloria ſola tua eſt.

De Cupidine.

CVr natum cædit Venus? arcum perdidit; arcum
Nunc quis habet? Thuſco Flavia nata ſolo.
Quî factum? petit hæc, dedit hic, nam lumine formæ
Deceptus, matri ſe dare crediderat.

PIERIVS VALERIANVS.

De imagine IULII 2. *P. M.*

QVò, quò tam trepidus fugis, viator;
Ac ſi te furiæq; Gorgoneſq;,
Aut acer Baſiliſcus inſequantur:
Non hîc Iulius, at figura Iuli eſt.

In LEUCES *laudem.*

TRes priſci Charites canunt poëtæ,
Atq; unam Venerem, & novem Camænas.
At Leuce Charis eſt, Venus, Camæna;
Ergò, hæ quatuor, hæ duæ, hæ decem ſunt.

ALOSIVS MARANA.

In annales BARONII.

FErt, fluvium trauans, ſua commentaria Cæſar,
Nec, ſua ne pereant, ipſe perire timet.
Tu tamen annales committis, cautior illo,
Non tibi, ſed Petri, dum furit unda, rati:
Quid ſi iterum tumidis Petrus titubaret in undis?
Hos, mihi crede, ſua nollet abire manu.

IANVS VITALIVS.

De Roma.

QVi Romam in media quæris novus advena Roma,
Et Romæ in Roma nil reperis media:
Aſpice murorum moles, convulſaq; ſaxa,
Obrutaq; horrenti vaſta theatra ſitu:
Sunt, viden? hæc Romæ velut ipſa cadavera; tantæ
Vrbis adhuc ſpirent imperioſa minas.
Diſce hinc, quid poſſit fortuna: immota tabeſcunt,
Et quæ perpetuò ſunt agitata manent.

In

In ſtatuam Satyri & pueri.

BLanditur puero Satyrus vultuq; , manuq; ;
Nolenti ſimilis contrahit ora puer.
Quem non commôrint quamvis de marmore? fundit
Penè preces Satyrus, penè puer lachrymas.

In ſtatuam ADONIS.

CVm Cytharæa procul Parium ſpectaret Adonim,
Occurrens tales fudit ab ore ſonos:
Quis deploratum nobis te reddit, Adoni,
Quæve tibi lucem fata dedere novam?
Dixit, & ad charos complexus læta cucurrit,
Figeret ut niveis oſcula preſſa genis:
Aſt aprum aſpiciens nova vulnera dente minantem,
Semianimis trepido concidit icta metu.
Vivere quis neget hos lapides? ſi incendit Adonis
Corda deæ formâ, vulnere terret aper.

MARIVS MOLSA.

De Româ ad Martem.

TVnc cum ſola tibi, Mavors, Cytharæa placebat,
Solus eras tanto dignus amore deæ.
Non erat in cœlo formoſior ulla Dione,
Nec tibi par ſuperûm viribus ullus erat.
At nunc Roma tuis manibus fundata Quirini,
Mille parit Martes, mille parit Veneres.

FRANCIS. RAINERIVS.

De Numa.

VIderat armato Tybris ſub rege Quirites
Iura dare edomitis Martia finitimis:
Viderat & ſuperis populum pia thura gerentem,
Sacraq; ſub ſancto ſurgere Pompilio:
Cum lætus reſono hæc effudit flumine: noſtra
Quàm benè Roma colit, quàm bene bella gerit.

In Fatuum.

EBrii erant omnes, Fatuus vult ſobrius eſſe,
Hinc ſolus viſus ebrius & fatuus.

PORTIÆ.

BRuto digna viro, generoſi nata Catonis,
Ebibis ardentes cur moritura faces?
Non aliter potui tantum compeſcere luctum:
Igne exiccantur, igne domantur aquæ.

In PYTHAGORAM *pictum.*

PYthagoram pictor poterat pinxiſſe loquentem,
Verùm Pythagoram conticuiſſe juvat.

TYBRIS COCLITI.

QVòd mihi, quòdq; tibi, Cocles, ſervaveris urbem,
Hæc ſunt ſervatæ præmia Tybris ait;

Reſti

Reſtitui patriæ, & reddam per ſecula cuncta
Gurgite te incolumen, murmure te celebrem.

MVTIO SCÆVOLÆ.

QVid, Mutî, in dextram ſævis? Si lumina peccant,
Supplicio potius mens tua digna fuit.
Nulla tamen peccant, poſtquam tua libera Roma eſt:
Nam quod tentabas tunc facere, ipſe facis.

PORSENNA.

CVm Porſenna gravi Romam obſidione levaret,
Et mirarentur turba ducesq; fugam:
Bellum ait invictane geram cum gente Gradivi?
Scævola nam flammas, Clælia vicit aquas.

De TANTALO & NIOBE.

QVisnã eſt, qui hoc ſaxum ruiturú in tempora jam jam
Horret? & hæc quænam ſaxea imago gemens?
Proditor iſte deûm, contemptrix illa dearum,
Tantalus eſt Phrygius, Tantalis eſt Niobe.
Peccârunt ambo lingua, plectuntur & ambo;
Ad lapidem genitor, filia at in lapide.

PETRVS LEO CASELLA.

Marino Caprutio.

VIvamus, bone Caproti, atque amemus:
Idq; venum numero modò hoc, modò illoc
Dicamus

Dicamus bibuli, & bibeatem amemus:
Atq; isti miseri, maliq; fati
Vappæ despereant pilosiores.

In S. GREGORII *mensam marmoream.*

BIssenos jubet hîc Gregorius excipi egenos:
Sed numerum excedens angelus accubitat.

ACTIVS SANNAZARIVS.

De MERCVRIO *& amore.*

DVm comes aligero Cyllenius iret amori
Aliger, incauto surripuit faculas.
Deprenso tum fure, manum tendebat ad arcum;
Sed non inventâ risit amor pharetra.

In LVCRETIAM, *de* ALEXANDRO *Sexto.*

ERgone te semper rapiet, Lucretia, Sextus?
O fatum diri nominis, hic pater est!

De Venere *&* Diana.

INcultam aspiciens silvis Cytheræa Dianam,
Risit, &, an tendis retia semper? ait:
Tum Dea casta, feris cur non ego retia tendam?
Tendere si potuit vir tuus illa tibi.

Epita-

Epitaphium Alexandri *Sexti.*

NOmen Alexandri ne te fortaſſe moretur,
Hoſpes, abi; jacet hìc & ſcelus, & vitium.

In LEONEM *pontificem maximum.*

SAcra ſub extremâ, ſi fortè, requiritis, horâ
Cur Leo non poterat ſumere? vendiderat.

Ad Fredericum *Regem.*

EDicto nuper cum tu, Rex magne, caveres,
Audaci ne quis ſtringeret arma manu:
Depoſuiſſe tuum vel primus diceris enſem,
Et monſtrâſſe palàm primus inerme latus.
Quid majus populiſve tuis, Frederice, vel urbi
Accidere huic noſtræ per tua dona poteſt?
Poſt domitos hoſtes, inter tot commoda pacis,
Contigit exemplis vivere poſſe tuis.
Publica nimirum res nunc ſibi conſtat, & æquum
Imperium: cum Rex, quod jubet, ipſe facit.

De emendatione Catulli, *ad* Iovianum.

DOctus ab Elyſia redeat ſi valle Catullus,
Ingratoſq; trahat Lesbia ſola choros:
Non tam mendoſi mœrebit damna libelli;
Geſtiet officio quàm, Ioviane, tuo.
Ille tibi amplexus, atq; oſcula grata referret,
Mallet & hos numeros, quàm meminiſſe ſuos.

De

De POGGIO *Historico.*

DVm patriam laudat, damnat dum Poggius hostem,
Nec malus est civis, nec bonus historicus.

De AUFIDIO.

DVm căput Aufidio tractat chirurgus, & ipsum
Altius exquirit, quo videat cerebrum:
Ingemit Aufidius quid me, chirurge, fatigas?
Cum subii rixam non habui cerebrum.

De CYPARISSO *puero.*

FLebat adhuc mœrens cervo Cyparissus adempto;
Cùm sua conspexit cortice membra tegi
Delius exclamat: quid nostro sylva dolore
Crescis? tu Daphnen, tu Cyparisson habes.

De IUCUNDO *architecto.*

IVcundus geminos fecit tibi, Sequana, pontes;
Iure tuum potes hunc dicere pontificem.

Ad VESBIAM.

ASpice quam variis distringor, Vesbia, curis:
Vror, & heu nostro manat ab igne liquor.
Sum Nilus, sumq; Ætna simul; restringite flammam
O lachrymæ, lachrymas ebibe flamma meas.

Ad ÆGLEN.

SI tibi sum Phœbus, si sum tibi Iupiter, Ægle,
Cur tu non Daphne sis mihi, non Danae!

De Danae & Iove.

FOrmosam Danaën munibat ahenea turris,
Et satis hoc vanus credidit esse pater.
Indoluit teneræ miseratus fata puellæ
Iupiter, & subitò factus amator, ait,
Ergo arcere potes natam diviſq; viriſque?
At si non arces imbribus, imber ero.

In Ferdinandum *juniorem.*

SI merita audieris Ferrandi, Neſtora credas:
Si numeres annos; dixeris Antilochum.

De mirabili Urbe VENETIIS.

VIderet Hadriacis Venetam Neptunus in undis
State urbem, & toto ponere jura mari:
Nunc mihi Tarpeias quantumvis Iupiter arces
Objice, & illa tui mœnia Martis, ait.
Si pelago Tybrim præfers, urbem aſpice utramq;:
Illum homines dices, hanc poſuiſſe deos.

Tumulus in quo plorabatur filius unicus à matre.

CVr heu lætitiam falſo dixere parentes?
Triſtitiam qui te dicere debuerant.
Natus eras miseræ lux unica matris, ocellus
Vnicus, hunc Lacheſis noxia ſurripuit.
Inanc, vel Nioben confer mihi; cujus habet ſors
Hoc melius; fieri ſaxea quod potuit.

De IOVE *& Amore.*

IVpiter infractos jactat dum sæpè gigantes;
Et sibi servati dat decus omne poli:
Sic est, inquit Amor; namq; hoc mugire solebas
Tunc quoq; cùm torvâ fronte juvencus eras.

In Nolam Vrbem.

INfensum Musis nomen, male-grata petenti
Virgilio optatam Nola negavit aquam.
Noluit hæc eadem Ioviano rustica vati
Hospitium parvæ contribuisse moræ.
At tibi pro scelere hoc cœnosos fusa per agros
Exhausit populos styx violenta tuos.
Iamq; quid, ô nullis abolenda infamia seclis,
Imprecer? & cœlum desit, & unda tibi.

De Amore fugitivo.

QVæritat huc illuc raptum sibi Cypria natum;
Ille sed ad nostri pectoris ima latet.
Me miserum, quid agam? durus puer, aspera mater,
Et magnum in me jus altera, & alter habet.
Si celem, video quantus Deus ossa peruret;
Sin prodam, meritò durior hostis erit.
Ergo istic, fugitive, late; sed parcius ure:
Haud alio poteris tutior esse loco.

FRAN-

FRANC. SPINVLA.

In quendam visu gloriantem.

CErtè ego lat video: magis esto lynceus ipse;
Qui rectum omne videt, non satis ille videt.

Ad DIONYSIVM ATHANASIVM.

FAc modus in rebus tibi sit, Iovis optime fili;
Et bonus esto aliis, ut tibi sis melior.

MAT. CASIMIRVS.

De S. MAMMETE *à leonibus quibus erat obiectus intacto.*

PArvus in extremam Mammes descendit arenam,
Squallebant tristi pallida membra fame.
Horruit hanc prædam venantûm turba ferarum,
Et potuit sese vincere longa fames.
Vnde protervorum jejunia victa leonum?
Sic docuit Martyr, sic didicere feræ.

De puero IESV *nato.*

QVid esse possit hoc puello charius?
Cui mellis ore plena manat copia,
Illime plenis balsamum rivis abit,
Et liberali nectar amne labitur,

Stellæ

Stellæ ſerenis illigantur crinibus,
Puraq; cirri luce cervicem rigant,
Et è biſulcâ ſiderum natus face
Pectit coruſcas aureus pecten comas.
Sed exoletâ naſcitur puer caſâ,
Et exquilino natus in ſimo jacet,
Dextrâq; culmum prenſat, & fœnum præmit;
Cœloq; coram nudus, & coram gelu
Injuriosâ ſtringitur puer nive.
Quid eſſe poſſit hoc puello vilius?

Caput eius aurum optimum, manus illius tornatilēs aureæ. Cant. 5.

VItis eram, noſtros carpebat nemo racemos;
Flumen eram, noſtras nemo bibebat aquas:
Arbor eram, noſtrâ nemo conſedit in umbrâ;
Ductor eram, neſtrum nemo tenebat iter.
Quid faceret Ieſus? aurum placet omnibus: aurum,
Vt placeam poſthac omnibus, inquit, ero.

Cerea NERONIS *effigies in abdito repoſita.*

DVrus & in molli figit Nero vulnera cera,
Mollis & in duro cera Nerone furit.
Cerea quid fruſtra ſolem devitat imago?
Ipſe ſuo iratus diffluit igne Nero.

In ceream pueri IESU *effigiem.*

EXprimit, & verum mentitur cera puellum,
Et docet, & vera fallit imago nota.

Hos oculos, gerit illa quidem, quos ille gerebat,
Et quas ille genas, has gerit illa genas.
Tu tamen his oculis, hoc vultu luderis hospes,
Id fieri possit qua ratione rogas?
Materiâ peccat, non peccat imago figurâ,
Cerea materies, melleus ipse fuit.

De divino amore.

REtia nectentem nuper mirabar amorem.
(O quid non facilis fingere possit amor?)
Aurea penna fuit, lapis aureus, aurea restis,
Aurea compages, aurea nassa fuit.
Aureus ipse fuit: sed dum sibi flumina desunt,
Heu mea quo vertam retia? dixit amor.
Ad Iesum converte, puer, tua retia, dixi;
Ipse tibi fuerim piscis, & ille mare.

In tres cruces & tres tubas, stemma reverendissimi Præsulis STANNISLAI KISZCÆ.

KIszea, tuas dum cerno cruces, dum classica cerno;
Sollicitat mentem terror amorq; meam.
Cerno cruces? ignis sancti me flammat amoris;
Et dico, mentis crux medicina meæ est.
Cerno tubas? timeo: fors, inquam, bella parantur;
Sed cum nulla sonant prælia, rursus amo.
Quid secura tuæ faciet fiducia plebis,
O præsul, si te diligit ipse timor?

De S. BASILISSA *&* ANASTASIA *quæ ſub* NERONE *occubuerunt.*

FOrtis Anaſtaſiæ comes eſt Baſiliſſa ſorori:
Illa canit Chriſtum voce, nec iſta tacet.
Cæſareas utriuſq; ſonus dum venit ad aures;
Vulnere lingua, ſimul pes utriuſq; cadit.
Vtraq; ſponte genu ſinuato vulnere curat,
Et te procidno poplite, Chriſte, colit.
Iraſci Chriſto neſcis, improvide Cæſar;
Quem tacuiſſe velis, ſic coluiſſe jubes.

Puer IESUS *totus deſiderabilis.*

HYblæi rores, & Hymettia liba valete,
Pinguiaq; Aſſyriis deflua mella favis:
Me trahit ille ferax ſanctorum vultus amorum,
Ille verecundo vivus in ore pudor.
Cum mea mens ſacræ ſatiatur imagine formæ,
In deſideriis paſcitur ipſa ſuis.
O Ieſu, mea ſola fames, mea ſola voluptas,
Quam ſapis ipſe, tui ſi ſapit ipſa fames?

De morte CÆSARIS, *qui ſcenicum dum luſtrat cœlum, præceps inopino caſu ad theatrum datus expiravit.*

SCenica mentiti dum fortè palatia cœli,
Et dubio Cæſar ſcanderet aſtra pede;
Aurea quæ falſi ſimulaverat atria cœli,
Sciſſa ruinoſum tela fefellit iter.
Decepto ruit ille gradu, tragiciq; doloris
Ad ſua materies ipſe theatra redit;

Et Ieſum vocat ore. Pii ne flete ſodales,
Non ruit ex aſtris Cæſar, in aſtra ruit.

De timido Anſâ Fulvio.

DVm bellicoſus nuper Anſa prandentes
In Othomannum Sarmatas adhortatur;
Prandete, dixit, milites, triumphalis
Iam cœna vobis præparatur in cœlo.
Dixit; ſed ipſe jam moventibus ſignis,
Et buccinâ cum tympaniq; rumore
Perterrifactus, ordiente Bellona,
In civitatem primus Anſa profugit.
Interrogatus inde, cur fugam mallet,
Et cur ad aſtra nollet ire cœnatum?
Hac luce, fallax inquit Anſa, jejuno.

IVLIVS CÆSAR SCALIGER.

Dolet, & lætatur amicæ abitu.

ASpexitq; , abiitq; , & ſpicula ſæva relinquens
Fraudavit votis brachia noſtra ſuis.
Ah loquor infelix? ſolo ſi lumine vicit;
Quid faceret toto corpore diva tibi?

In DOLETUM *iactantem ſe habere* CICERONIS *animam.*

ANtoni comites, tuq; ô Catilina Cethegi;
Et Clodî cineres, & maleſana cohors,

Exilio

Exilio & cœdi Ciceronis parcite, pejus
Desperit, illam animam quando Doletus habet

THAVMANTIÆ *corollæ.*

QVæ mihi composuit verno de flore corollam,
Perpetui veris ipsa corolla fuit.
Viderat in propriis carpentem lætus Adonis:
Nec vetuit, Venerem dum putat esse suam.

ARISTOTELES.

NE perge, ne, viator, hic sistas gradum:
Vltrâne promovere posse te putas?
Hæc meta mundi, hic finis orbis ultimus;
Aristoteles haud totus, haud semis, neq;
Tantilla tanti portio miraculi.
Magni ne dicam interpretem clarum poli,
An æmulum, alteraſq; naturæ vices?
Vnus super omnes, singulis qui omnes fuit;
Penes Deos homo, penes homines deus.

DIOMIDES.

REdde Helenâ prædo infamis. Venus improba me
Quæ dederat, nostro vulnere læsa fugit. (chu
Cædite vos alii mortalia corpora. Nam sunt
Materies dextræ numinâ sola meæ.

XENOPHONTI.

OQuem te in numerum, aut censum, vir magne, re
Quem docuit puras utraq; Pallas opes. (ponam
Arma canámne invicta ducis? tene, Attica Pitho,
Lucida nectareo verba parare sono?

Verum

Vtrumque: & dextræ, & divinæ fulgure linguæ
Quæ dixti, facere, & dicere, quæ faceres.

OVIDIVS NASO.

AMe utinam inciperes ferus esse, cruente; nec atras
Per cædes faceres ad mea fata gradum.
Si mea te movit tetricum lascivа juventus,
Te juvenem damnas perditus; exul abi.
Non te divinum ingenium, non candida tangunt
Pectora, non Clario lingua secunda Deo.
Lactea mollivit veteres mea vena poëtas,
Et rerum docuit pondera certa novos.
Cum te laudarem, tunc sum mentitus; ob unum hoc
Exilii fuerat debita pœna mihi.

In BIBINUM & LOSERUM.

INebriatur bis Loserus in die;
Semel Bibinus; his quis ebriosior?
Imo Bibinus non fit ebrius semel,
Non fit, sed est: & semper est illud semel.

NIOBE.

ASpicis, ut rigido lachrymæ de marmore sudant,
Et favet in luctus crimina muta silex?
Hæc parit infestus dolor alta silentia, linguæ
Sed pensant oculi damna superba meæ.
Bissenis fueram thalamis visura nepotes;
Sexus ubi, & sexu sors fuit æqua mihi.
Vividior tetricæ concessit Apollinis iræ;
Altera pars telis, dira Diana, tuis.
Iple mares possit frater benè perdere: sed tu
Quas partu dederas sæva quid ergo rapis?

Cornelia

CORNELIA *Tiberii Gracchi.*

SCipio me genuit: genui Cornelia Gracchos:
Felix, si poteram perpetuare decus.
Vrbis fulmen erat genitor, nati ignis at urbis:
Quid mirum, genitam fulmine ferre faces?

Hecuba.

QVis potis æterni pœnas evolvere luctus?
Heu, heu, hæc mea sunt omnia verba: fui.
Felix, cui solum hoc supereſt: qui semper acerbi
Non sit spectator funeris ipse sui.
Vixi, ut non moriar: vos, ô, qualem esse putetis,
Cui pro supplicii fœnore vita datur?

Meduſa.

IS decor est vultus, tanta est sapientia linguæ,
Induerem ut stupidis saxea membra viris.
Vincere non hominis potuit prudentia, non ars,
Hæc sunt Mercurii, hæc Palladis arma deæ.
Qualia credideris viventia membra fuisse,
Defunctæ lapides cum caput esse facit?

Londinum.

VRbs animis, numeroq; potens, & robore gentis,
Quæ cunctos præ se despicit una deos.
Torva peregrinis, sed non & inhospita, merces
Vicinis patrias aggerit, atq; petit.
Contemnis cui das, tanquam isto munere major:
Odisti unde petis, ne videare minor.
Dicat quid bello valeas Aquitania, quid non,
Et Norman, & cum Saxone Roma vetus.

Cremon

Cremona.

DEficit hic cultrum, & vomer, non deficit uber:
Lassa manus, trita hic sarcula, fessa Ceres.
Reddant pensum aliæ; nostræ lex unica terræ est
Et votum Domini, & spem superare sui.

IOVIANVS PONTANVS.

Nænia blanditoria. mater canit.

HAs ego Luciolo mammas, hæc ubera servo;
Dextera mamma tua est, ipsa siniſtra mea est.
Singultit sed Luciolus: mutare licebit:
Ipsa siniſtra tua est, dextera mamma mea est.
Vtraq; sed potius tua sit, jam desine flere:
Desine, dextra tua est mamma, siniſtra tua est.
Risit Luciolus, mammamq; utramq; momordit.
Túne meas mammas, credule, túne meas?
Jam sœvit, quòd dico meas: ne candide sœvi:
Hæc atq; illa tua est, utraq; mamma tua est.
Nunc, Luci, nunc suge ambas, ne quis malus illas
Auferat, & clauso, scite, reconde sinu.

Nænia nugatoria.
Mater ludit.

QVis puer hic? age, Liſa, tuas abſconde papillas;
Hic puer en illas ſurripuiſſe parat.
Liſa, tege, en tege, Liſa, tuas. Túne, improbe, túne
Lucioli mammas ſurripuiſſe paras?

Luciole, huc propera, propera nunc, candide Luci:
Iſte malus properat, tu prior ipſe veni.
Viciſti, atq; hanc ore premas, hanc corripe dextrâ,
I, puer, hinc alias, I, male, quære alias.

Tumulus Alphonſi Davali.

ARma manu tibi capta, & victâ ex hoſte trophea:
Hæc tibi marmora erunt, hæc tibi erunt tituli.
His, Alphonſe, jaces, ornatus & obrutus armis:
Arma tibi tumuli, tela tibi tituli.

Tumulus hominis mendici.

NVlla mihi vivo domus, at nunc certa ſepulto eſt,
Vitaq; paupertas, mors mihi divitiæ.
Vita mihi exilium, requies at certa ſepulchrum:
Nudus eram vivus, mortuus ecce tegor.

NICOL. BARTHOLOMÆVS

De ebrio revertente à tabernâ vinariâ.

DVm noctu redit ebrius taberna,
Solvendus quoq; ventris eſſet humor;
Micturus parieti adhæſitavit.
Tum lenis ſiquidem cadebat imber;
Is vino madefactus, & ſepultus,
Vndâ meiere ſe labente retur.
Cujus cum mora tœdium ſodali

Afferre

Afferret, rogat, anne meiet usq; :
Meiam quamdiu, ait, Deo placebit.

BENED. THEOCRINVS.

De Hercule Gonsaga.

HErculis audito Gonsagæ nomine, Iuno
Arsit ob antiqui relliquias odii :
Iamq; novos illi nectebat dura labores,
Monstraq; cœlesti vix superanda manu.
Vt vidit faciem, mirata, quid odimus inquit,
Quem vel ament positis mox mea monstra minis ?

Cometes à Ludovicâ *spectatus.*

INfestum sibi cum sciret Ludovica cometen,
Seque peti illius crinibus horrificis :
Spectavit tamen intrepidè, vultuq; professa est
Monstrari ad cœlum jam sibi morte viam.

In imaginem Semeles & Iovis.

QVis spirare Iovem neget hoc in marmore vivum ?
Marmore in hoc Semelem quis neget exanimem ?
Nil non consequitur veterum solertia ; quando
Vna animam artificis datq; adimitq; manus.

ANGELVS POLITIANVS.

In Paulum.

QVæ tu condideras damnavi carmina nuper;
Nec tua damnavi carmina, Paule, tamen.
Author eras fateor, sed cum sunt edita, Paule,
Authoris non sunt carmina, sed populi.

In Pamphilum.

MIttis vina mihi, mihi, Pamphile, vina superfunt:
Vis magè quod placeat mittere? mitte sitim.

De Domitio & Marsilio.

AVdit Marsilius missam, missam facis illam
Tu Domiti, magis est religiosus uter?
Quis dubitet? tanto es tu religiosior illo,
Quanto audire minus est bona, quàm facere.

Ad Laurentium.

QVàm benè glandiferâ cingis tua tempora quercu;
Qui civem servas non modò, sed populum.

In Albieram *fato immaturo ereptam.* *Ad genitorem.*

QVid quereris genitor? vivit tua filia cœlo
Albiera: annè deam progenuisse doles?

Ad Galeotum *Principem.*

CVr promissa tibi tuus poëta
Nondum præstiterit rogas? poëta est.

In Amicam.

ALlicis, expellis, sequeris, fugis, es pia, & es trux,
Me vis, me non vis, me crucias & amas.
Promittis, promissa negas, spem mî eripis, & das:
Iam jam ego vel sortem, Tantale, malo tuam.
Durum ferre sitim circùm salientibus undis,
Durius in medio nectare ferre sitim.

Ad Franciscum.

SCripsit in invidiam quidam, Francisce, poëta
Tam benè, tam doctè, nullus ut invideat.

In oleam vitibus implicatam.

QVid me implicatis palmites
Plantam Minervæ, non Bromii;
Procul racemos tollite,
Ne virgo dicar ebria.

In Daphnen.

COmplexus virides frondosæ virginis artus,
Sic quoq; mutata dixit Apollo fruar.
Vtq; novas gustu bacchas, tentavit, eandem
Hei mihi servat, ait, nunc quoq; amaritiem.

HERCVLES STROZA.

In Borgiam.

SI quis Apollineos perferre diutius ignes
Lumine tentarit, lumine captus erat.
Et qui saxificæ conspexerit ora Medusæ,
Mutato rigidum corpore marmor erat.
At quicunq, tuos miratur, Borgia, vultus,
Fit primo intuitu cœcus, & inde lapis.
Mox velut Hypili cautes lachrymosa madescit,
Vivit & in saxo, (quis putet?) usq; dolor.

De Borgiâ *canente.*

QVale Periclæo manabat nectar ab ore,
Quale suo recinit funere carmen olor,
Quale melos Siculo tenuit cita vela profundo,
Tale refers; sed & hoc, Borgia, dulce magis.

Ad Ludovicum *poetam.*

ET Phœbum, castasq, doces, Ludovice, sorores
Salsa verecundo verba lepore loqui,
Vlla nec in toto prurit lascivia libro;
Pagina non minùs est, quam tibi vita, proba.

Epitaphium Iohannis Mirandulæ.

IOannes iacet hîc Mirandula, cætera norunt
Et tagus, & Ganges, forsan & Antipodes.

In Cupidinem marmoreum ſuper Leonis ſpolia dormientem, BORGIÆ *inſignia.*

GOrgone quid mirum Lybicus ſi duruit Atlas?
Lumine Borgiados ſaxificatus amor.

In Helluonem

SÆpe bibis quo ſæpe vomas, & ſæpe voracem
Diſtendis miſeri corporis ingluviem;
Tanquam ſis genitus perdenda ad vina, nec ulli
Te natura alii finxerit officio.
O dignum laqueo facinus! quodcunq; voratur
Turpiter ingeritur, turpius egeritur.

In LYCARMUM *furem.*

SVſpendendus erat Phœbo redeunte Lycarmus,
Furcam alius ſero veſpere fur rapuit.
Quid non audebunt fontes? ſi turpia furta
Quod dederant laqueo ſurripuere caput.

LÆLIVS CAPILVPVS.

De Phyllide *&* Lyſo.

HAs gemmas mea mi Phyllis cùm traderet olim,
Hæc dicta, & dictis oſcula miſta dedit.
Cor tibi jampridem atq; anima & noſtra iſta labella
Sunt data: quod reliquum eſt, nunc cape, Lyſe, oculos.

De iiſdem.

HOc mihi munus amor miſit meus, & ſimul iſta
Quæ tulit illius nomine verba puer,
Vt te perpetuum videant, quibus invidet ipſa,
Hos tibi dat Phyllis, lux mea Lyſe, oculos.

De LYCO.

FOrte Lycum Hippolyta è ſpecula qua ſtabat amantem
Demiſſo gelidæ ſparſerat imbre nivis.
Ille oculos tollens, ſerò hæc medicina paratur;
Sunt mea jampridem viſcera facta cinis.

In mortem Petri Bembi.

MOrte tua fluxit lachrymis & Tybris, & Armus,
Bembe, ſed Aoniis acuit unda vadis.

NATH. CHYTRÆVS.

Boni colendi & mali.

ROmula ſic olim non tantùm turba Salutem,
Cum ſcabie ſævam ſed coluere Febrem.

In ALEXANDRVM *Magnum.*

MAgnus Alexander parvum ſi credidit orbem,
Quem ſibi pugnacis ſubdidit enſe manus;
An non pro magno minimum ſe jure vocaſſet?
Orbe etenim parvo quomodo Magnus erat?

In

In IBERUM.

BElgarum in cœnis dum mirabatur Iberus
Delitias, artem, pocula, vitra, merum.
Huic Belga, ingenium exacuens & nobile vinum
Nos bibimus: fatuæ potor Iberus aquæ est.
Non artes mirare igitur, non mentis acumen,
Sunt ubi cœlifluo pocula plena mero.
Nec mirare tuam stupido cum pectore mentem:
Quod bibis, id tecum bos asinusq; bibunt.

In Sciolum.

QVodcunq; argutum doctis lepidumq; putatur,
Id fatuum Sciolus, frigidulumq; vocat.
Quid sit causa rogas? non omnibus omnia rident;
Vlcus amant muscæ, germina floris apes.

In Grillum.

SEgnis erat Grillus, saxiq; immobilis instar,
Mandibulâ exceptâ deniq; totus iners.
Viderat hoc scabies, Grillumq; ut redderet acrem,
Pruritu huic vexat membra manusq; suo.
Mox ille evigilans ungues in vulnera stringit,
Et quod agat semper nunc scabiosus habet.

In Vulpeculam.

BLanditur vulpes, sed non ego credulus illi:
Pessimus est simulans se malus esse bonum.

EURICIVS CORDVS.

In somni & ebrietatis effigies.

TAm bellè, haud mirum est, si nos expressit Apelles;
Huic præsens quando pinxit uterq; fuit.

De Medico Monacho.

MEdicum frequentes fœminæ Monachum petunt:
Nil suspicare? ægros domi viros habent.

Ad ALMUM.

QVod optimum utilissimumq; fecisset
Miraculum nobiscum adhuc agens Christus,
Interrogatus inquit, Alme, Germanus,
Fatuas quòd undas in suave merum vertit.

Ad Philomusum.

SI nisi defunctos laudas, Philomuse, poëtas,
Me tibi perpetuò displicuisse velim.

CVNRADINVS.

De Muscâ sculptâ in aureâ phialâ.

QVæ lautas ego musca dapes libare solebam,
Nec semel in mensa Cæsaris hospes eram:

Non

Non roſtro me fixit avis, nec aranea telæ
Implicuit, nec me flabra dedere neci:
Nobilior mihi mors, prætioſior urna, Lyæo
Merſa cado, aurata condor & in phiala.

In Eandem.

AVrato in cyatho dum Corſica guſto, nequivi
Suaviùs extingui, ſplendidiúſq; tegi.

CHRISTOPHORVS MANLIVS.

Non decet ſub capite ſpinoſo membra eſſe delicata.

COnfixum ſpinis caput eſt, cur ſubdita membra
Tam delicati nos ſumus?

Ex Nazianzeno.

AVt non docebis, aut docebis moribus,
Ne una trahas manu, repellas altera.
Minus opus eſt ſermone agenti quæ decet.

De MOSE & SIMEONE.

ET Moſes, Simeonq; Dei cupit ora videre:
Par deſiderium, diſſimiliſq; modus.
Vivere non potis eſt iſte, & cœleſte videre
Numen, ni videat, non potis ille mori.

De BVCHANANO, *ad* IOAN. LANGIVM.

CErnis ut ad Scotos migrent, Helicone relicto,
Laurigeræ, tanti vatis amore, deæ?
Nec vivo hoc reditûs spes est. Vtrum ergo vocabo,
Langi, Heliconiades, anne Caledonides?

ALBERTVS MELEMANNVS

Amor nudus.

SCire cupis, careat cur vestibus ardor amoris?
Nudus amor nulla dissimulatur ope.
Frigora vestitum deposcunt, ignis amoris
Nudus agit, vult & se sine veste coli.

Alphonsi *regis dictum.*

NOn mille pondo tristium ægritudinum
Solvant vel unum debiti teruncium.

IOAN. OEXLINVS.

Victima viva.

NEmo bovem Domino, sed se nunc immolet ipsum,
Victima nulla deo jam nisi viva placet.

Christi

Christi *sepultura.*

MOrtem qui moriens vicit, nunc ut domet, ipsum
Persequitur victam mortuus in tumulum.

Epitaphium.

HOc saxo Christus tegitur, quem vera loquuntur
Fata fuisse hominem, facta fuisse Deum.

GEORGIVS SABINVS.

Collatio Saturni & Papæ.

FAlcifer hîc olim Saturnus regna tenebat,
Ausonius sedem nunc ubi præsul habet.
Ille parens crudelis erat natosq; vorabat;
Hic simili præstat se feritate patrem:
Namq; suos natos cum bile tumescit & irâ
Ad stygias sœvo fulmine mittit aquas.
Ille gravem fertur deglutivisse molarem:
Faucibus hic arces, oppida regna vorat.

Decoctoris jocus.

CVm sua decoctor subeuntem limina furem
Quærere speratas nocte videret opes:
Nocte quid in nostris circumspicis ædibus, inquit?
Hic ego nil mediâ cernere luce queo.

De

De ſacerdote furem conſolante.

QVidam ſacrificus furem comitatus euntem
Huc ubi dat fontes carnificina neces.
Ne ſis mœſtus, ait; ſummi conviva Tonantis
Iam cum cœlitibus (ſi modò credis) eris.
Ille gemens, ſi vera mihi ſolatia præbes,
Hoſpes apud ſuperos ſis meus oro, refert.
Sacrificus contrà; mihi non convivia fas eſt
Ducere, jejunans hac edo luce nihil.

Dictum ἀπροσδόκητον.

EBrius occluſas pulſabat Vandalus ædes,
In quibus Illirici ſanguinis hoſpes erat:
Impatienſq; moræ cum nigrâ bile tumeret,
Hoſpite confeſtim non reſerante domum;
Ecce quid Illiricum, clamabat, & inter aſellum,
Quo pecus eſt nullum turpius, eſſe rear?
Ille refert contrà; dubius quid talia quæris?
Nonne vides quòd ſint inter utrunq; fores?

Ad ELIZAM.

QVid trahis, & laceras convulſos ungue capillos,
Dum gemis interitum matris, Eliza, tuæ?
Parce comis, ô parce tuis: quid deſipis? an te
Calvitio luctum poſſe levare putas?

Militis jocus.

TEmpore quo bellum cum Cæſare Saxo gerebat,
Seria feſtivo res fuit acta joco.
Bellica Saxonici quidam Ducis arma ſecutus
Miles ab adverſo milite captus erat:

Ex quo Cæsarius cupiens resciscere princeps
Esset quanta ducis copia, quanta manus,
Ille suis aquilam qui territat ensifer armis,
Saxo, tuus, quantum roboris, inquit habet?
Miles ad hæc, demiror ait, cur talia quæras;
Cum duce luctatum méne fuisse putas?

SEBASTIANVS SCHEFFERUS.

Ad puerum pietatis studiosum.

DOmi parentes, obvios in publico,
Vbiq; præsentem Deum:
In solitudinis latebris abditæ
Ipsum verere te, puer.

Ad Grammaticum, puellæ declinatio.

SEmper dulce fuit malum puella:
Et vox blanditiis potens puellæ:
Si quis crediderit semel puellæ,
Lusus pòst, odiis habet puellam;
Et mœrens, ait, ô vale puella,
In totâ nihil est boni puellâ.
Pejores cane sint licet puellæ,
Mos gratus tamen est puellularum;
Et stamus fide supplices puellis,
Et donis emimus datis puellas;
O felix genus, ac decens, puellæ!
Divellet juvenes quis à puellis?

Ex

Judicis

Iudicis corrupti bella responsio.

DOnabat actor judici currum, dabat
Duos eidem equos reus.
Pro se favor latæ fiet ut sententiæ:
Ambo laborant munere.
Causa sed actor cum cadit dolens ait,
O currus (heu) quam devias!
Aliter nequit, quum ducitur suis equis,
Refert disertus arbiter.

IOANNES POSTHIVS.

In GELASINUM.

FRustrà luce fores, frustrà, Gelasine, fenestras
Claudis in uxorem Zelotypus miseram.
Si, nisi quam retinet custodia sæva mariti,
Fœmina nulla proba est, fœmina nulla proba est.

GABRIEL ROLLENHAGIVS.

Poeta loquitur.

NAso versiculos fudit dictante Corynna,
Et tibi materies, Galle, Lycoris erat.
Non ego Nasoni concedam aut carmine Gallo,
Si qua Corinna mihi, si qua Lycoris erit.

In

In dominam.

DIc mihi, nate deâ facibus metuende Cupido,
Quo pectus dominæ læseris igne meæ?
Sic ego; sic lascivus amor; quam falleris inquit,
Lampade quâ potiùs me crematipsa, roga?

NICOLAVS RVDINGERVS.

In imaginem BACCHI.

BAcchus cur puer est? pueri facit omnia ritu.
Cur vagus? haud casti frœna pudoris habet.
Cur nudus? nihil est quod non levis ille revelet.
Cur ferus? iratis addere calcar amat.
Cur liber? stolidam nescit compescere linguam.
Corniger est; animos ebria vina parant.
Cur secum Satyros habet? igne libidinis ardet.
Cur tigres? rabidâ plus feritate nocet.
At cur Pantheras? vinum facit esse protervos.
Cur Bacchas? molles ducit, amatq; choros.
Cur Nymphas? mites scit mitior esse per artes.
Cur vates? Phœbo fertilis ille suo est.

IACO-

IACOBVS BIDERMAMVS.

Statua S. PETRI assiduè lachrymantis.

ECce genas, longi monumenta perennia luctus!
Fundit adhuc juges forma superstes aquas.
Cristatus dudum nihil eccinit auribus ales;
Hæc tamen & gallo flere tacente solet.

B. MAGDALENA & AFRA in communi tabellâ cum suis insignibus pictæ.

MAgdalis insedit mediam, mediam Afra tabellam;
Illa suis lachrimis, ignibus ista suis:
Cur tabulâ, pictor, contraria jungis in unâ?
Et juxta flammas uda elementa locas?
Scilicet Afra suo ne picta cremetur ab igne,
Picta suas illi Magdala fundit aquas.

B. MAGDALENA lachrymans, & ad crucem procumbens.

MAgdalis ut fixo moribundum in stipite vidit,
Quod quondam Assyrio laverat imbre caput:
Et rigidis penetrata pedum vestigia clavis;
Perq; decussatam brachia tensa trabem;
Stipite si ex humili penderent brachia, dixit,
Ferrem avidè palmis oscula, Christe, tuis.
Scala foret, peterem cerebrati pectoris antrum,
Ablueremq; meas vulnera per lachrymas.

Stans

Stans ego mulcerem madidis pia genua labellis.
Nunc poſſum extremos tangere flexa pedes.
Malo pedes, ah malo. Tui pars corporis illa,
Iam didicit lachrymis antè favere meis.

CHRISTI *querela adverſus hominem.*

IN ſtipulâ, ſertoq; puer dum vagio culmo,
Me colit obnixo ruſtica turba genu:
Stellatâ toties ego jam tono major ab aulâ,
Majoremq; tamen me minus illa colit;
Et neq; blanda trahunt ingratam munera plebem,
Contemnitq; graves impia terra minas.
Ingenio cogam. Si non niſi parva coluntur,
Ad ſtipulas infans ſæpè redibo meas.

De puero IESU, *medio inter* B. *Virginem & B.* IOSEPHVM.

STat puer, & geminum ſibi nectit amore parentem,
Et geminus puerum nectit amore parens:
Illa tenet dextram pueri; tenet ille ſiniſtram;
Dignus uterq; manu tali; & utroq; manus.
Reſtat adhuc, video, pueri pars tertia, reſtat:
Nemo pedes prenſat, da mihi, Chriſte, pedes.

Cruenta CHRISTI *facies, ad hominem.*

CErnis ut in picto liveſcant vulnera velo?
Plurimus ut læſo ſtagnet in ore cruor?
Forma caret formâ; color abſq; colore. Tabella
Iſta, rogas, cujus picta ſit arte? tuâ.

Flagellum

Flagellum CHRISTI *ſanguine purpuratum.*

IRatus domini cum terga ſecare ſatelles
Nodoſo inciperet terq; quaterq; flagro;
Noluit imperio refugum parere flagellum,
Mitius immiti dum cupit eſſe manu.
Sed parere manus cum pergere ſœva juberet,
Iuſſa flagrum fecit, fecit, & erubuit.

CHRISTUS *ſpinis coronatus, ad hominem.*

SAnnio divinam fatua armat arundine dextram,
Et ſacra ſacrilega verberat ora manu.
Et caput infeſto vepre plurima ſylva cruentat,
Inſonteſq; lutat jacta ſaliva genas.
Et tamen hæc tantùm ludens agit omnia lictor,
Ah! quid aget quandò ſeria lictor aget?

De flagello depicto, & in CHRISTI *tergum intento.*

PIcta quòd elato ſtringuntur lora lacerto,
Libratiſq; inſtant pendula flagra minis,
Nullo terga tamen violant innoxia tactu:
Criminis ipſa ſui diriguere metu.

S. PAULA ROMANA.

DEſereret dominæ cùm Paula palatia Romæ,
Auſa Palæſtinas fœmina malle caſas;
Contemni mirata ſuos eſt Roma penates,
Exteraq; à Pauli mœnia nepte peti.
Exilium tibi quæris, ait; Sed falleris: exul
Eſſe putabatur fœmina; Roma fuit.

S.

S. Catharina *ſpinis coronata.*

SPinoſo Catharina ſibi cum tempora ſerto,
Et vepribus ſeptum cerneret eſſe caput;
Cingite crudeles, inquit, mea tempora vepres:
Non mea ſerta mihi, ſed tua, Chriſte, dolent.

In imaginem B. Agathæ.

ALternus viden' ut graſſetur in ubera tortor?
Carnificeſq; ferat ſecta papilla manus?
Nec fluit humor adhuc. Dubitat natura, mamillas
Candidus has deceat, purpureuſve liquor.

In KUNEGUNDAM *inter ignes illæſam.*

TEſtatura viro ſalvum Kunegunda pudorem,
Libera candenti in vomere fecit iter.
Exploratorem ſed ubi pede contigit ignem,
Non fuit in planta ſenſus, in igne fuit.

Ad Chriſtum *in cœlum redeuntem.*

ERgone terra, tibi tanto empta relinquitur? Et jam
Infelix oculis viluit illa tuis?
Aſtra placent, inquis. Si hic manſeris, aſtra tenebis;
Nam quocunq; loco, Chriſte, eris, aſtra facis.

Conviva Evangelicus è nuptiis ejectus.

AMbroſias hoſpes peteret cum ſordidus eſcas,
Nec laceram ferret regia menſa togam.
Vtraq; res doluit; ſeu cum jejunus abire,
Seu cùm flagrantem eſt juſſus inire rogum.
Has tamen ut pœnas contendere cæpit utraſq;,
Non dolet hæc, inquit, flamma; repulſa dolet.

Martius à procaci fœminâ non impunè visus.

CAmpanis vagus ibat in viretis
Cultor Martius & cliens Tonantis,
Qui noctes vigil, & vigil diurnas
Largis fletibus exigebat horas:
Hinc ipsi neq; fœminas, neq; ipsum
Vllis cernere fœminis licebat.
Confestim mulier, per impeditas
Clivorum salebras viam capessens
Inceſſu temerario, remoti
Ad magalia Martii propinquat.
Hæc voto miserabili potita,
Vixdum viderat, occidit; viso.
Vna est quæ periit videns: sed una,
Eheu! fœmina visa quot peremit.

Pelagia *mater duasq; comites ne contaminarentur in undas se projiciunt.*

MAter ut hostiles timida cum plebe caveret
Insidias, initâ quæsiit antra fugâ.
Venit & ad vastas pendente crepidine lymphas
Per quas nullius copia pontis erat.
Hic hæsere pares; genetrix, quid malumus? inquit,
Ponè ruunt hostes, antè morantur aquæ.
Stamus? adest lasciva cohors, tergoq; minatur.
Pergimus? insanas objicit unda minas.
Mitior unda tamen si nescit parcere, mergat:
Sat mihi, dum castas merserit, unda dabit.
Et dicto citius ruit alti in gurgitis undas:
Debuit hâc etiam turba scelesta sequi.

Columb

COLUMBA *virgo ab urſa cuſtoditur.*

FErrato licet urſus occupatum
Seſe murice cernat, & gravanti
Colli robora præpedita millo:
Lenones tamen inter atq; lenas
Vim caſtæ fieri videns Columbæ,
Effracta volat urſus è caverna,
In turbas ruit, horridaſq; cæpta
Diſturbat juvenum impudentiorum.
Nullos virgo procos timebit nulla,
Quam talis comitabitur catella.

Caſtitas inter conjuges.

POſtquam nulla timent tædarum incendia, tuti
Inter contiguos fœmina virq; thoros:
Ambiguam, ſalamandra, fidem jam pene probaſti;
Omnia victa tuo credimus eſſe gelu.
Cernimus ut refugæ timeant ſua fœdera flammæ,
Dum quatit innocuas pronuba turba faces.
Et neq; virgo viri vicino conflagrat igne,
Vir neq; vicino virginis igne flagrat.
Mutarunt elementa fidem: prius igne calebant
Omnia: nunc ipſum creſcit in igne gelu.

Eugenia *virgo veſte morteq; virum oſtendit.*

SPes erat ignoto traducere tempora ſexu,
Meq; ſacros inter diſſimulare choros.
Sed deprenſa meum ſum fundere juſſa cruorem,
Mox mea ſunt ſævâ colla reſecta manu.
Sic fugiens cautos tunicâ fallente parentes
Eſſe vir optabam, cùm reperirer, eram.

Inver-

Inversum hominis studium.

PArs rata cuiq; sua est: piscis natat, evolat ales;
Includuntq; Iovem Tartara, terra feram.
Solus homo sedes quas quærere debuit, odit;
Et quæ debuerat spernere regna, petit.
Nitimur in vetitum: ut nobis persuadeat astra,
Nulla deus nobis suadeat astra; vetet.

Miseria honorum aulicorum.

QVi fasces petit æmulus superbos,
Aut regni dominam potentis aulam;
Si pœnas dare, quas meretur, optat,
Regnum continuò impetret, quod optat.
Tum texto licet incubet grabato,
Prolixas tamen execratus horas
Insomnes vigilabit inter umbras.
Illi pectine si cohors eburno
Ludat Threicium sonora carmen,
Orpheam sibimet suus profundo
Turbabit gemitu Tragædus artem.
Si fulgentibus hinc & hinc sariſſis
Stipent mille satellites euntem;
Pallebit tamen, & suas in ipsis
Anceps civibus expavescet hastas,
Nulli fidere certus; atq; summa
Inter gaudia mœstus: inde regum
Dum fasces quatit, & superbit auro,
Toto cogitur exulare regno.
Durum est exilium timere, durum est:
Multò durius est timere regnum.

ABSOLONIS *crines in laqueos versi.*

CVm querceta vagus ruerem per agreſtia; Marſq;
Plurimus admiſſis inſequeretur equis;
Aurea cæſaries, flavæq; ſimillima lanæ
Texerat incautum crine volante caput.
Nam Phaëthontiades captæ formaq; comaq;,
Ne fugerem, laqueis impedicre viam.
Cæſaries fallax, &, inania vota, capilli;
Et vos effuſæ per mea colla comæ:
Inſidias teneris quid tendere profuit annis?
Non timuit veſtros noſtra juventa dolos.
Vos ego cincinnos, &, pendula gaudia, cirrhos
Eſſe ratus; laqueos cerno fuiſſe meos.

BAVII *deſperata inſania.*

TVrbaſſent Bavium cum tetrica ſomnia; quæri
Pæoniam paſſim juſſit anhelus opem.
Quid memorem? Bavio cum mentem reddere quæruit,
Nil reliquum Chiron, nil ſibi Coſmus habet.
Anticyram exhauſit validi vis improba morbi,
Inſulaq; abſumpto languit Helleboro.
Falleris, & fruſtra toties, medicina, laboras;
Vis mentem Bavio reddere? danda fuit.

In Iudam, *malum mercatorem.*

IMpius inſontem quo vendidit ære magiſtrum,
Hoc laqueum Iudas quæſiit ære ſibi.
Si ſperare lucrum, mercator ſtulte, volebas;
Vendendus laqueus, Chriſtus emendus erat.

Amico intimo Romam evocato.

ET doleo, & nequeo fugientem flere ſodalem;
Cauſa ſubeſt, oculos abſtulit ille mihi.

Ad divitem in pauperes liberalem.

AVrea cui toties largiris munera plebi,
Aſſiduamq; gravi dividis ære ſtipem;
Sydera plebs eadem tibi feſtinata precatur,
Sydera tam largâ ſæpius empta manu.
Nos aliud iſto populi in clamore precamur;
Vt quamvis citò emas ſydera, ſerò petas.

Votum pauperum pro Guilielmo *liberaliſſimo ſene.*

CAna licet placidi ſe prodat verticis ætas,
Et Pylias monſtrent tempora picta nives;
Sola tamen lentæ manus eſt ignara ſenectæ,
Laſſariq; dato munere dextra nequit.
Vive tibi, Guilielme, (precor plebs indiga) vive;
Aut tibi ſi renuis vivere, vive mihi.

Puer ludibundus, imagine deceptus, undis mergitur.

TRimulus illimem cum forte ſederet ad amnem,
Et placitam vitrei cerneret amnis aquam;
Induit, ecce, amnis puerilia vitreus ora,
Et mendax puerum retulit unda parem.
Ille ſibi inter aquas ubi credidit eſſe gemellum,
Concordes ſocio datq; petitq; manus.
Extulit hic mediis itidem æmula brachia lymphis,
Et quas ille manus porrigit, iſte petit.

Exten-

Extenditq; manus iterum, extenditq;, caditq;,
Præcipitemq; nocens gurgitis unda rapit.
Deceptus puer eſt. Sperabat tangere dextram
Dextra parem: ah! longè fortior una fuit.

De apiculis ab araneâ interceptis.

QVas gula delicias affectat? aranea muſcas
Nauſeat; Hybleas jam ſibi poſcit aves.

De heliotropio, ſolari flore.

FLos ego, Pæſtani non ultima gloria prati,
Sed Corcyræo regulus in nemore,
Phœbeum comitor fixo pede mobile ſydus;
Et cœlum flexu metior omne meo.
Sublimi curſum quid ſolis ab æthere quærunt
Aſtrologi? hìc humili in flore videre queunt.

Diogenes Herculis *ſtatuam coquendis lentibus admovens.*

NOta ſibi Cynicus dum luſtrat tecta cachinno
Paſcat ubi diram paupere lente famem.
Hic gelidos horrere videt ſine torre penates,
Et nuſquam emerito ligna parata foco.
Auxilium rogat ergò deos. Fortè Herculis illic
Stabat in excelſo lignea forma tholo.
O benè biſſenis, ait, olim exercite monſtris,
Lens decimus debet tertius eſſe labor.
Lerna quid Alcidæ, quid cætera monſtra dediſtis?
Clarior à victis lentibus ille fuit.
Omnibus in monſtris ſudaveris, inquit; in iſtâ
Te ſudare tamen plus ego lente puto.

Lusitanus *in obsidione* Diensi *dentem pro telo habet.*

ARx ubi Memnonias arcebat Ibera phalanges,
Alternoq; frequens ibat ab hoste cruor;
Lethiferi demum defecit copia teli,
Quæsitiq; manum destituere globi.
Insultare magis tamen ac magis institit Indus;
Nudaq; contempto valla subire metu.
Non tulit exermis ludibria barbara miles;
Tela mihi desunt, telum ego, dixit, ero.
Extrahit inde oris genuinum è carcere dentem,
Fartaq; dentatis glandibus æra gravat.
Quæ novus iratis manibus furor arma ministrat
Ore, sibi ut possit tela parare, parit.
Prælia nunc nostris præfer Sampsonia! Sampson
Maxillâ, nostri prælia dente gerunt.

De expeditione veterum in Palæstinam.

BArbara cum Syrias injuria carperet urbes,
Servaq; sub Pharia fieret Iduma jugo.
Tullingi misere viri, misere Britanni,
Misit Iapygias Daunia turma rates.
Vidimus Ausonios, enseſq; venire Sicanos,
Et Germanorum vidimus arma ducum.
Majorum dices hæc facta fuere; fuerunt:
Facta sed (ah) cujus posteritatis erunt?

De interitu Friderici Æneobarbi *cum expeditionem moliretur in* Palæstinam.

CVm Suevas traheret Fridericus ad æquora turmas,
Cui rubra cognomen nobile barba dedit.

Vnda

Vnda fuit, gelido Cydni glomerata meatu,
Sæpius in magnos unda maligna duces.
Obfuit hæc olim Pelleo (ut fertur) alumno,
Ablueret nimio cùm ſua membra gelu:
Nunc idem infeſto Fridericum gurgite Cydnus
Obruit; iratis, heu! violentus aquis.
Parcere debuerat Friderico Cydnus eunti,
Sat citò merſiſſet, cùm rediturus erat.

Fulco *Rex* Hieroſolymorum *equi lapſu occiſus.*

VEſtra quid, ô reges, fore funera lenta putatis?
Vt properaret, equo mors mea vecta fuit.

Sepulchrum Chriſti *excubitorum terror.*

VRgeat impoſitum licèt oſſa recondita ſaxum,
Et tumulum armatâ ſepiat haſta manu;
Oſſa tamen fugiunt rupto rediviva ſepulchro,
Et ſtupet eluſas irrita tumba ſoras.
Et pavidus cuſtos abjectis diffugit armis;
Quemq; prius tumulum ſepſerat haſta, timet.
Nunc alio trepidas ſurgente à funere cuſtos?
Incipies olim plus trepidare tuo.

In funus liberaliſſimi principis.

SÆvæ barbaries cruenta parcæ!
Heu! ſævior omnibus tyrannis!
Quamvis millia multa Martiali
Sæpè extinguere claſſico laboret;
Quamvis funere peſtilente totas
Sæpè exhauſerit urbium catervas;

Nunquam vulnere tot peremit uno.
Nam quo vulnere principem petivit,
Omnes barbara pauperes peremit.

Tumulus causidici celebris.

NIl prodest didicisse alias componere lites;
Nil veteri leges condere jure novas.
Intendit mors lege suâ mihi deniq; litem,
Hei mihi! cur unam hanc solvere non didici?

IOAN. PETRVS LOTICHIVS.

IVLIUS CÆSAR *Imperator.*

EX utero matris Cæsar si cæditur, ecquæ
Alterius mater Cæsaris esse velit?

Ad CALVUM.

DEbetur canis reverentia sancta capillis;
Debetur capiti, Calve, quid ergo tuo?

IOANNES CORBERVS.

Scholarum incommoda: ad amicum.

SI vis omne genus molestiarum,
Mali nominis, increpationis,

Ærum

Ærumnæ, invidiæ, laboris unò
Verbo dicere, dic scholam: probatum est.

Seni juvenculam ducenti. Nuptiale.

CHare senex, juvenis tibi ducta puella videtur?
Ah non! vicinis est ea ducta tuis.

Amico juveni vetulam edentulam ducenti.

QVæ sint fata tuis futura tædis,
Dum senex tibi sed pecuniosa,
Sed & horrida nupturit marita,
Quæ sint vin' loquar unico Phaleuco?
Cœnabis benè, pessimè cubabis.

PAVLVS VLRICVS.

In versificatorem.

HEroos mittis versus, miserabile metrum,
Inscribas elegos doctus Apollo jubet.

In Pilatum.

NObile quid verum vestigas, dire Pilate?
Quod quæris, præsens corpore Christus adest.

Calumnia.

CRamben bis coctam quidam mea carmina dixit,
Vivit adhuc; lectis si moriatur, erunt.

In rationistam.

FLammâ scrutaris stygiâ cur corpora durent?
Terrestri vivat cur salamandra vide.

In MATTHIAM BERNEGGERUM.

ESt Berneggerus nostri laus, gemma, Lycæi;
Fac Deus ut tardè dicere cogar, erat.

Paradoxum philosophicum.

CHristus homo-divus nostrorum viscera sumpsit,
De genere in genus hic scandit & ipse Deus.

TIMOTHEVS POLVS.

Ad bibliopolam.

QVem genui librum, paris hunc in luminis auras,
Et te matre diem, me patre nomen habet.
Non minor est virtus quam gignere, reddere luci;
Tam tuus est igitur, quàm meus iste liber.

Amor ignis.

CVm siet ignis amor, sursum se surrigit ignis;
Ad cœlos sursum sic meditetur amor.

An somnus sit mortis imago?

PRopter me liceat! sit somnus mortis imago.
At dormire quidem cum volo, nolo mori.

Cur

Cur mare ſalſum.

CVr mare ſit ſalſum, cauſas ſi quæritis, inquam?
Potarent piſces, ſi mare dulce, nimis.

Dictum de omni, & dictum de nullo.

ESt dictum de omni, debere obedire, maritâ;
Dictum de nullo, poſſe domare, viro.

Suſpirium.

SAncte Deus, manda quod vis, & perfice mecum:
Da mihi noſſe bonum, da mihi poſſe ſimul.

In mendacem.

MEndacem ſemper memorem decet eſſe; ſed ohe,
Tu plus mentiris quàm memor eſſe potes.

In inutilem ſervum.

QVandò ſum inutiliter, cum feci ſingula, ſervus;
Eheu, nil quando fecero, qualis ero?

De ROMULO.

POtabat parcè mera vina Quirinus. Ita omnes
Si biberent, vinum vile ſit, unus ait.
Imò foret charum, biberent ſic, Romulus inquit.
Cur? tantum, quantum ſat volo, namq; bibo.

In fucatam.

QVæ fragili testâ formam complecteris; eheu!
Est tua quàm verè forma bonum fragile?

In virginem Vestalem apud Senecam,
quæ scripsit,
Fælices nuptæ, moriar nisi nubere dulce est.

QVæ de se scripsit, moriar nisi nubere dulce est,
Qualis erat virgo? seu, puto, virgo fuit.

In scriptorem calendariorum ineptum.

QVandò jubar scribis, pluit; at deus impedit, inquis:
Quicquid mentiris, dicis id esse dei.

In Papam IOANNAM.

QVi peperit natum Ioannes, sive Ioanna,
Non modò papa pater, sed quoq; mater erat.

Modus imperativus.

QVa re rex aliis, sibi sed non imperat ipsi?
Primis personis imperativus eget.

FRIDE-

FRIDERICVS HERMANNVS.

Ius ſummum.

QVandò jus ſummum ſumma eſt injuria, ſummus
Iuris-conſultus quis precor eſſe velit?

In rabularum munera.

QVid vomicæ legum, quid ſtrumæ pocula donas?
Vis dare quæ meruit munera, mitte crucem.

Virtus nobilitat.

NObilior non ſemper erit, qui tempore præſtat;
Et prior à priſcis nomina jactat avis.
Nam tibi ſi nota eſt primæva creatio, nonne
Poſt aſinum & leporem factus Adamus erat?

PETRVS LOTICHIVS.

Musæus *Vates.*

DVlce gerit nomen Muſæus, dulceq; cantat
Carmen, id à Muſis quod tenet, omne tenet.
Ergo donec erit Muſarum nobile nomen,
Muſæi ſemper nobile nomen erit.

P. VIRGILIVS MARO.

CONvenit Augusto vates augustus, uterq;
Non habet Augustus, Virgiliusve parem.

Aure. Propertius.

CYnthia plaude tuo vati: tibi Cynthius ille
Ceu deus est, à quo ceu dea nomen habes.

STEPHANVS RITTERVS.

In GELLIAM.

GEllia, te nigram perhibent; haud, Gellia, nigra es:
Excipiendo cutem, Gellia, namq; rubes.

De laico.

VNius uxoris vir debet Episcopus esse;
Ergò potest laicus ducere nonne duas?

GERARDVS FAVSTVS.

In *poetas* Germanos.
VL: HUTTENUS.

HVttenus Musas semper, Martemq; secutus,
Gloria Musarum, gloria Martis erat.

Philippus

Philippus Eugentinus.

DEbita si musis mansissent præmia, posses
Clarior Antiocho, ditior esse Midâ.

Eobanus Hessus.

ELisus Hessum Pelignus viderat agris
Vates, atq; umbram credidit esse suam.

Simon Lemnius.

FOrtè tuos, Lemni, cum perlegisset amores,
Ipsa Erato faciem texit, & erubuit.

Eustach. Gnobelsdorfius.

QVi tua scripta leget, Latio juraverit ortum:
Qui nomen, dicet barbarus iste fuit.

TAREVS HEBVS.

In effigiem H. Grotii.

GRotius effigie puer hac florebat: amice,
Dic vidisse senem, lector, Aristotelem.

In Scaligerum.

QVæ super immensum ingenio exscendebat olympũ,
Dic mihi nunc ubi sit Scaligeri alma anima?
Pauperis est animi signatum ponere divis
Voce locum: quem ubi sit nescio, ubiq; colo.

Ad

Ad Scaligerum *de* Heinſio.

TAntum Heinſi libris debes tua geſta canentis,
Quantum orbis debet, Scaliger, iſte tibi.
Majus utroq; nihil poteris laudare; poeta
Dignus te ſolo eſt, Scaliger, Heinſiades.

Scaligeri *Epitaphium*.

SCaliger hìc Ioſephus habet: mirare jacentem
In tumulo, Lector, qui cadere haud potuit.

De Batavo.

INvictum patriâ pro libertate Batavum
Vincere quo ritu poſſit Iberus? amet.

De morte Catonis.

VIxerunt multi, Cato mortuus ambitioſè eſt,
Vtri ſunt, ô Plutarche, magis fatui?

In Scoppum.

NEſcire quædam ſi eruditio quædam eſt,
Antiquiorum ut exputat ſophus quidam,
Aliquandò noſter Varro Scoppus evadet.

Ad Scoppum *illuſtrem*.

NAtus es in luſtris, in luſtris fotus & altus:
Nemo tibi hoc titulo nunc magè conveniens.

In Delrium *purpuratum*.

PVrpureum te alii, pus purum, ego, Delrio, dixi:
Quid faciam? lingua eſt blæſa mihi, haud oculus.

MAT-

MATTHÆVS ZVBERVS.

In adventum FRIDERICI 4ti *Com.* PAL. *ad* RHENUM, *& uxoris eius* AMBERGAM.

HActenus Ambergæ neq; ſol neq; luna micabat,
Et credi poterant his abiiſſe locis.
Quamprimum Elector Fridericus nomine quartus
Ignipede intrabat mænia vectus equo,
Fulſit Apollo die, vaga Cynthia nocte. Decentèr
Ibant gratatum ſydera ſyderibus.

Ioannis Lauterbachii *poetæ nobilis tumulus.*

TE, Lauterbachi, Phœbus, non Parca necabat;
Ne ſuperaretur carmine, cauſa fuit.

Priſcæ, *virgini* Lavinganæ.

DIves es, & caſta es: cur eſt tibi nullus amator?
Prodere quòd nomen, Priſca, videtur anum.

In Gaucam.

PLena exquiſitis habeas quum ſcrinia libris:
Nil à te ſcriptum tempora noſtra legunt.
Scripta mea hæredes emittent, inquis. At optant
Errores hodiè, Gauca, notare tuos.
Ludere propoſitum eſt defuncto parcimus omnes.
Hoc ipſum ſentis tu quoq; : cautus homo es.

Chriſt.

Christ: Walpurgero, *continuationis historicæ relationis Authori.*

WAlpurgere, novæ qui prisca oracula genti
Vivaci calamo pandis, & acta refers;
Noscendosq; sacræ ritus ostendis arenæ,
Nec corpore finis secula cana mori.
Magnum opus aggressum comitatur gloria compar:
Obstrictum hoc ævum est omne priusq; tibi.

In Cyllum.

QVòd mendico homini dederim, licet improbo, ut aiis
Objicis, & vitium non leve, Cylle, putas.
Fecit idem cujus prudentia vincit utrunq; :
Non mores, hominem commiseratus eram.

Nicolao Regnero.

NE propera, fieri si vis, Regnere, peritus:
Exiguo subitum tempore durat opus.
Parturit en prægnans elephas deceterida totam:
Tarda viret buxus, sed viret illa diu.
Linea ducta hodiè, cras linea ducta vicissim,
Sic porrò & semper ducta, virum faciet.

Iano Barnefeldo.

NOn est quatuor otium legendi,
Barnefelde, meos, ais, phaleucos.
Intermitte, nec otium offerendi est
Tantâ desidiâ viro occupato.

Sophroni

Sophroni Nymarcho.

ECquid agam rerum, tua quærit Epistola, Sophron,
Hîc ubi desipiens plus sapiente valet?
Quid multum quæris? pariter stulteſcere disco:
Quid mihi prodesset hîc bibere, & sapere?

Ioanni Heinzio *Dti Medico.*

ORbis quadrifidus cum te desideret, Heinzi;
Quò profis toti, suggero verba, solo.
Linque manum nostris, animum per scripta reclude:
Sic tua cura domi est, sic operosa foris.

Ioanni Ortelio, *præceptori ſno.*

ARgus es, Orteli, centeno lumine. Nostris
In scriptis, ut sis talpa, rogare placet.

ADOLPHVS à DANS.

In imaginem Ioſephi Scaligeri Iul. Cæsaris *fil.*

QVisquis Scaligeri sublimia conspicit ora,
Hæret, & hîc, inquit, Cæsaris ora nitent.
Quid mirum, sacræ si maiestatis honorem,
Cæsareumq; decus Cæsare natus habet.

In imaginem nobiliſs. illius Thalaſſiarchæ Franc. Draconis, Angli.

CEdite ſemidei, Graii nunc cedite reges,
Quos tulit ad Scythicas Theſſala pinus aquas.
Hic vir hic eſt, totum qui circumnavigat orbem,
Quâq; dies oritur, quâ moriturq; dies.
Velleris unius ſpolio nec clarus, at omnes
Abſtulit extremus quas habet Indus opes.

IAC. ZEVECOTIVS.

De Lachrymis Magdalenæ.

MAgdala, dum triſti vitiorum compede vincta
Solvendam Domini te jacis ante pedes,
Dumq; tui deſles ſuſpenſi fata magiſtri,
Anxia deſertis in tumuli foribus;
Quàm dulces fundis lachrymas! quàm nobile flumen
Naſcitur ex oculi divite fonte tui!
Pactolus tali ſe vellet origine naſci,
Vellet & auriferi nobilis unda Tagi:
Illi etenim ſolum volvunt ſub fluctibus aurum,
At fluit ex oculis plurima gemma tuis.

De pluviis in morte Alberti Auſtriaci.

MIraris tantus cur cœlo decidat imber,
Et fluit in mediis territus orbis aquis?
Principis Alberti dum non ſat funera Belgæ
Materie lachrymas exſuperante dolent,

Ipſe

Ipſe ſuis mœſtus pluviis ſuccurrit Olympus;
Vnaq; cauſa homines tangit, & una Deos.

In Nævolum.

DVm pluit exultant onagri, varioq; fatentur
Lætitiam geſtu; ſole micante dolent.
Te quoq; quis ſtupidos inter non ponat onagros,
Lætaris bello, Nævole, pace gemis.

In librum Danielis Heinſii *de contemptu mortis.*

HEinſius antiquæ qui ſolus nomina Romæ
Vicit, & heroës, Græcia priſca, tuos:
Vt probet æternam nunquam ſibi defore famam,
Contemptæ ſtatuit hæc monumenta necis.

De jure.

SI bene dicatur juś ſummum injuria ſumma;
Quiſquis erit ſummè juſtus, iniquus erit.

De Gelliâ.

CArnifici mallet, medico quàm Gellia tradi:
Nam mors non pœnam, ſed mora mortis habet.

Ad Phœbum.

PHœbe vale, extremam tetigerunt carmina metam:
Si bona, multa ſatis; ſi mala, multa nimis.

PE-

PETRVS STREITHAGENVS.

Ad Ægyptum Christum *in fuga suscipientem.*

IAm tibi, Nile, tuas condonant sydera noxas,
Inq; Iacobæum crimina facta genus;
Cum sacrum superis populum crudelibus ausis,
Et nimiùm diris prosequerere modis:
Quippe olim famulis illata piacula delet
In Domini pietas officiosa fugam.

In Nestorem.

NEstoris ingenium, facundaq; dicimus ora;
Quid mirum? seclis vixerat ille tribus.

In obitum Alberti *Archiducis post inducias.*

OCcidit Albertus Belgarum rector in orbe,
Occidit Austriaci sanguis honosq; domus,
Cum jam longinqui post mitia fœdera belli
Mors cupidos rursum ferret in arma viros.
Cur ita? pacis amans ne sanguinolenta secundò
Prælia conspiceret, maluit antè mori.

PE

PETRVS ÆGIDIVS.

De cauſidico & uxore rixosâ.

QVam benè conveniunt ſociati Mallus & Iſſa;
Litigat ille foro, litigat iſta domi.

De VENERE & MOMO.

INdignata nimis crepidam quod carpſerat olim,
Aggreſſa eſt Momum corpore nuda Venus.
Tum Deus ut vidit formam, gratumq; decorem:
Nil, inquit, vitii, nil, dea, ſordis habes.
Sandalium carpſi, non te: ſtudio hoc quoq; factum eſt;
Vt nudam poſſim te, Venus, aſpicere.

GEORGIVS BENEDICTVS.

*D*o PHILIPPO *SIDNÆO.*

INgenium, doctrina, genus, prudentia, virtus;
Hæc data ſunt paucis ſingula, cuncta tibi.

De IVSTI LIPSII *Saturnalibus & Amphitheatris.*

CLamoſus Romæ quotquot ſpectacula Circus,
Quotq; olim ludos amphitheatra dabant,
Ecce tibi exiguâ ſpectari præbet arenâ

Princeps

Princeps Romanæ Lipsius historiæ.
Discrimen tamen est: aspersos sanguine ludos
Prisca ætas vidit; tu sine cæde vides.
Ædilem mirare novum spectator: ut idem
Lipsius et ludos det simul & faciat.
Mirare, & tecum (si possis) ipse repende,
Qui dedit hos ludos, seria quanta dabit?

In quendam virtutis Encomiastem.

SEmper in ore tibi est virtus, tamen exulat illa
Pectore: scin' causam? semper in ore tibi est.

In quendam.

MVltis aurea multa polliceris
Singulis propè millies diebus
Per dextram fidei tuæ; nec unquam
Solvis ære fidem, datamq; perdis
Singulis propè millies diebus:
Sed quid perdere dico? non dedisti.

Epitaphia
Memoriæ Dⁿⁱ PHILIP: SIDNEIO.

ADsis viator, & volens audi & dolens
Quod te docere mortui manes volunt.
Nomen vide, Philippus est; eques domus,
Virtutis, ingenîq; famâ nobilis.
Nimis sed heu Philippus; hoc nomen fuit
Omen sinistrum Belgiæ & Britanniæ.
Hic dum tuetur utriusq; gloriam,
Turmas fugaces hostium insequens equo
Lethale vulnus accipit, nunc hic jacet.
I nunc viator, inclyti ducis memor,

Tuosq;

Tuosq; oculos hujus tumuli spectaculo
Puta beatos esse, te miserum puta.

Aliud.

VIxit Sidneius, quàm durum est dicere! vixit;
Sed patriæ & Belgis: nam sibi vivit adhuc.
Belgia tu luge, populosa Britannia luge;
Quod dedit hunc Mavors vulnus, utriq; dedit.

Aliud.

CVr fles Sidneium? quia vulnere mortuus? erras:
Hoc ipso incepit vivere, quòd moritur.
Mortalis fuerat, mortalis desiit esse;
Vt nunquam possit, debuit ille mori.

IANVS DOVZA.

In BASSAM *edentulam.*

TRes tibi cum toto dentes modò Bassa supersint
Ore, quibus miseram tundis adhuc Cererem:
Iure perurbano placuit sibi scommate, qui te
Bassa tridentiferum dixit habere caput.

In CINNAM.

INversum si fas Apuleium dicere quenquam,
Dicere fas certè te mihi, Cinna, foret;
Quod velut hic asinina hominem sub pelle tegebat,
Ipse sub humana pelle tegas asinum.

De FLACCO ad OLUM.

QVid multo pinguem rides abdomine Flaccum?
Ingenium multò pinguius, Ole, tibi est.

De luſu BATAVORUM in glacie.

MArs patet aſtricto cernens in marmore Rhenſi
Currere ferratis Cattigenas ſoleis;
Tandem hæc ad comites,& te fortaſſe notabat,
Dum reliquos curſu,Romule,prægrederis:
Nunc ſua quantumvis talaria præferat Hermes,
Altiùs ut volet hic, ocyùs iſte volat.

De IANO SECUNDO.

DVm Veneris cantat puerum cum matre Secundus,
Ipſi omnes Veneri ſurripuit Veneres.

In comparationem poëtæ & cygni.

PHœbus amat vates,cygnum quoq; diligit idem,
Candidus eſt vates,candidus eſt & olor:
Adde ambo campis quòd delectentur apricis;
Adde quòd & tenerum fundit uterq; melos.
Omnia conveniunt,magnum at diſcrimen in uno eſt;
Quòd bibit hic undas,quòd bibit ille merum.

IACOBVS EYNDIVS.

De LVCIA.

LVcia dans ruſulos ventis diffundere crines,
Criſpantes flammæ ſunt ſimulachra comæ.

Sed

Sed quoties niveam detexit Lucea frontem;
Intactam jures eminus esse nivem.
Nec tamen hîc audent communi pace ligatæ,
Lædere nix flammam, lædere flamma nivem.

De amore suo.

FLamma fovet flammam, geminato crescit ab igne
Ignis, in immensos & solet ire focos.
Hæc mea ab æquali sed flamma eliditur igne,
Fitq; mihi hic ignis dulce refrigerium.

De NARCISSO.

HVnc arsit quondam Driadum pulcherrima; nymphæ
Frigidus ad flammas, fontis aquâ incaluit.

NICOLAUS GRVDIVS.

In SERTORIUM.

COnjugis haud optat mortem Sertorius, optat
Hoc tantum, æternos vivat ut illa dies.

In Cinnam.

DEsine me, quòd sum non magno corpore, Cinna,
Temnere; nec vastâ tu tibi mole place.
Exiguus quòd sum; quòdq; es tu maximus, hinc est:
Vnum habeo, plures sunt tibi, Cinna, patres.

Ad Candidam.

QVòd te non homines moveant, non, Candida, divi;
Hoc potes una homines, una movere deos.

IANVS GRVTERVS.

Ad OLLUM.

INstas Olle mihi usquequaq; , & urges
Mox ænigma tuum tibi resolvam.
Quid solvam cupis, Olle, quod ligatum
Sic nobis quoq; plus satis molestum est?

In SABELLUM.

DE tot, de tantis quibus urbs quibus orbis abunda
Sola deest virtus, resq; , Sabelle, tibi.

IANVS LERNVTIVS.

Ad LINVM.

PRomittis toties; & adhuc, Line, scribere cessas?
Duxi, ais, uxorem: do veniam, haud tuus es.

Ad PONTICUM.

VErsiculos facias quòd in horâ sæpè ducentos,
Pontice, Virgilium te superare putas.
Ne fallas, ne fallaris: non, Pontice, multa,
Sed multùm scribat, qui velit esse Maro.

HADRI

HADRIANVS MARIVS.

Quantum discendum, quomodò vivendum.

DIsce, velut seri victurus Nestoris annos,
Vive, velut tibi sit, ultima quæq; dies.

SAMVEL NÆRANVS.

Ad TILENUM.

NE, Tilene, senex fugienda Cupidinis arma
Esse tibi cense, quòd puer ille deus.
Sectari sua castra senes vult hic deus unos:
Non etenim, nisi sit bis puer, ullus amet.

De CHARRONIO *&* IONSTONO *amicorum pari.*

HVc adsis, animam totam qui posse latere
Corporis in quavis parte, sophista negas.
Ionstonus pars est nostri, Charronius est pars:
Me tamen hic totum, me tamen ille tenet.

IOANNES SECVNDVS.

In imaginem Herculis Cupidinem *gestantis.*

ANtè quibus cœlum fuerat leve pondus, eisdem
Nunc gravis est humeris sarcina parvus amor.

In Charinum *deformis uxoris maritum.*

NVper, Charine, conjugem
Vidi tuam, tam candidam,
Tam lacteam, tam floridam,
Cultam, modeſtam, blandulam:
Vt ſi mihi tales bonus
Conceſſerit tres Iupiter,
Diti daturus ſim duas,
Auferret ut ſuperſtitem.

In Nanum.

AVſus formicæ Nanus conſcendere tergum,
Credebat domito ſeſe elephante vehi.
At verò ut curſu fertur nimis illa ſuperbo,
Infelix medià præcipitatur humo:
Calcatuſq; miſer, quid rides, invide, caſum,
Dixit, communem cum Phaëthonte mihi?

In Cupidinem *camino inſculptum.*

FLammivomo Veneris quiſquis fuit ille camino
Qui ſculpſit puerum, credite, doctus erat.
Scilicet æternæ penes hunc cuſtodia flammæ eſt,
Per quem ſopitus non queat eſſe focus.

In medicum quendam.

DIlectum medicus natum ad mè miſit, ut illum
Grammatices primis imbuerem ſtudiis.
At ubi, Muſa refer furias Pelidis, & iram
Norat, & hoc carmen quod ſolet inde cani,
Multas qui fortes animas ſub Tartara miſit;
Diſcipulum noſtris detinet à foribus.

Mec-

Meq; videns genitor, tibi ſum devinctus, amice,
Natus at à nobis hæc benè diſcat, ait.
Namq; & ego multas animas ſub Tartara mitto,
Nec mihi grammatici tunc opus eſt operâ.

MAXIMILIANVS VRIENTIVS.

Chirurgus, Medicus, carnifex.

CHirurgus medico quo differt? ſcilicet illo,
Enecat hic ſuccis, enecat ille manu.
Carnifice hoc ambo tantum differre videntur,
Tardius hi faciunt, quod facit ille citò.

HVGO GROTIVS.

Ad GERNANDUM.

BEatus ille qui fugaces actibus
Reprendit annos, ſeq; dante longius
Quàm fata dederunt vixit, impubes ſenex;
Non hunc jacentem publicanus temporis
Semiſſe vitæ ſpoliat ignavus ſopor:
Non hic amori, non gulæ, non Libero
Proſtituit horas, durus exactor ſui.
Non hunc juventæ dulce torpedo malum
Effœminavit, otiumve degener.
Non ille morem geſſit unquam moribus,
Sed quod negavit ſeculo, vitæ dedit:

Pretiumq; verum tempori dixit ſuo,
Avarus ævi, ſed laboris prodigus:
Rarum eſt in orbe canus ingenio puer,
Annos ſeniles qui repræſentat ſibi.
Germande, talem te colit Germania,
Paterq; Rhenus. Omnis eſt in fœnore
Dies, & ejus nulla pars quæſtu vacat:
Sic tota ratio conſtat ut pereat nihil.
Linguas in ipſis doctus incunabilis,
Quas poſcit uſus, exuiſti infantiam:
Reptaſti ad artes inde properatus puer,
Et imbibiſti quicquid eſt ſapientiæ
Cum lacte primo: quid Deus, quis ſidera
Limes ſequatur, qui rotent mortalia
Quantiq; caſus, unde tam certas vices
Cauſæ revolvant, ſepta quæ virtutibus,
Veri quis index. Nunc ad æqui regulam
Legeſq; domito Roma quas orbi tulit
Acclivis ævi prima vertis tempora.
Sic uſq; major creſce; quem te mox virum
Nicer videbit, quæ ſenecta te manet,
Cujus ſenectam præcipit puertia?

In IOANNIS MEURSII *de luxu* Romano *librum.*

QVà ſtet fortunæ nimius favor, impete quanto
In ſe victa ſuo pondere magna ruant;
Invida fatorum majora exempla poteſtas
Queis dare non potuit, dat tibi charta brevis.
Quid referam, ne non turbent patrimonia menſæ,
Quæſitas hominum non ſine morte dapes;
Servorum totas acies, privataq; regna;
Cryſtallum, gemmas, citrea, marmor, ebur;

Intra

Intra tecta lacus, & ſupra culmina ſilvas,
Incluſumq; domo quicquid ubiq; fuit.
Ferrea Romanus tunc ſecula vixit in auro,
Non jam Saturni, nec Iovis ille memor.
Non erat hic populus cui priſca Palilia læpè
Quærendos dederant inter aratra duces;
Hæres Pergamidum, ſector Carthaginis hic eſt,
Et cui vectigal ſola rapina fuit.
Quid miramur opes, magnum quas moribus iſtis
Perdere flagitium, quærere majus erat?
Orbis enim non urbis erant, quid deniq; tantum
Si dives mundo paupere Roma fuit?
Illa quidem dives; ſed qui comprendere Romam
Ingenio poterit, ditior ille mihi.
Quædam corporibus tribuit Deus, omnia menti:
Hac homines facti conditione ſumus.
Si meus in Româ totum dat Meurſius orbem,
Non orbem non te, maxima Roma, velim.

In IUSTI LIPSII *obitum.*

SI quid adhuc hominis civilia bella relinquunt,
Et vinci officiis hoſtis ab hoſte poteſt,
Orantem Batavum tandem, Brabante, videbis;
Ille ferox, ſupplex incipit eſſe tuus.
Non ſunt improba vota: brevis mora poſcitur armis,
Quæ tutum veſtro limite ſiſtat iter.
Pone metum, ferrumq; ſimul; veniemus inermes,
Et tantùm lachrymas agmina noſtra ferent.
Flebimus immixti pariter, ſoluinq; manebit
Certamen, tangat quos magis iſte dolor.
Hicne jaces Lipſi? clamabimus, hoc tibi præſtat
Patria, tot chartis vivere juſſa tuis?
Debita Lugduno ſaltem fuit iſta ſepulchri
Gloria; non alibi ſanctior umbra foret.

Cur malè ſperaſti de libertate Batavâ?
Cur tibi vilis, opus, noſtra juventa, tuum?
Quòd mihi centenis ſplendentia templa trophæis,
Hoc de me ſpolium ſi meus hoſtis habet?
At vos (ſi gravius quid dictum) ignoſcite, Belgæ;
Non ſunt hæc odii verba, ſed invidiæ.

In Euſebium IOSEPHI SCALIGERI.

QVod per ſcripta tuos putamus annos,
Et quòd nunc ubi te ſenem repentè,
Qualem credidimus diu, videmus,
Nondum priſtina penſa deprecatus,
Libro, Scaliger, explicas in uno
Vnquam quod fuit, & fuit quod uſquam:
Hoc pro munere quid tibi precemur,
Ingens gloria maximi parentis,
Quem Verona ſuum videns nepotem
Iuſtas ſideribus remittit iras?
Vnum difficile eſt, tibi quod opto:
Tandem tempora digna conſequaris,
Et gratos homines, piumq; ſeclum.
Quòd ni flagitiis fugata noſtris
Totum gratia demigraſſet orbem,
Cantarent populi, quibus vetuſtos
Verus digeris ordinator annos,
Laudes quiſq; ſuâ tuas loquelâ,
Sed quam diſcere te docente debent.
Te gens totius inquilina mundi
Iudæi colerent, tibi ſacrata
Lævis carmina ſcriberent figuris:
Nino te pariter, Semiramiq;
Præferret Babylon: Pharos ſuperbas
De te Pyramidas loqui juberet
Non ignobilium notis ferarum.

Te cultor Libani, celerque Medus,
Te tortis niger Æthiops capillis
Æternùm celebraret,& beatæ
Frugis messor Arabs; Magique Persæ
Cum Mithrâ tua facta compararent.
Nam quid cum Latio loquar Pelasgos,
Quos jam demeritus puer fuisti?
Sed quamvis fidei bonæ tot ista
Fiant nomina,debitorq; mundus
Quærat solvere quicquid imputasti,
Nunquam non remanebit obligatus;
Tantum posteritas nec ulla reddet,
Quin acceperit amplius vetustas.

In Pascha.

ÆTerna soboles coæva patri,
Humani generis piamen unum:
Quem certamine redditum cruento
Victorem necis horridæ salutat
Festo carmine Christiana plebes,
Per pulchrum quoties refulget orbem,
Et noctis spatium diebus æquat
Nullâ parte sui minuta Phœbe:
Te supplex veneror,reusq; voti,
Post bis Paschata quindecim peracta
Vnum cum superadditum recepi,
Has pro thure preces ad astra mitto.
Da fractum veteres dolere culpas,
Da vitare novas sagace curâ,
Da de tramite lubrico juventæ
Egressum pede firmiore niti.
Da mentem solidam, virile pectus;
Sit pax conjugio: meam parentes
Laudent,me pietas juvet meorum.

Res detur nec inops, nec invidenda;
Olim quâ placidè fruatur in ſpes
Non magnas nimis educata proles.
Vnum te dominum profeſſa conſtet
Libertas patriæ: neceſſe fuſo
Nec ſit ſanguine jus ſuum tueri.
Da nobis ſacra pura, da magiſtros
Veri ſollicitos ſimulq; pacis;
Concordem populum, pium ſenatum.
Quòd ſi noſtra manus tibi miniſtra
Vllâ in parte placet nihil recuſo:
Solves emeritum, redemptor orbis,
Cum viſum tibi: tunc Pharo relicta,
Agni ſanguine tinctus innocentis,
Ibo vivere, gente cum piorum,
Sincera Azyma, Paſcha ſempiternum.

In equum captum in prælio.

PArs ego Flandriaci non contemnenda triumphi
Præda fui, fierem ne fugientis equus.

Ad Paludanum, *de eius admirandis.*

THeſaurus orbis, Totius compendium,
Arca univerſi, ſacra naturæ penus,
Templumq; mundi, Panos hìc ſacrarium eſt:
Cœlo quod inſtar, unico penetralium
Claudit receſſu, quicquid aër parturit,
Edaxq; flamma nutrit, aut fœcundior
Vis circulantis obſtetricatur ſali,
Puerperæq; fertilis terræ labos.
Verum fatebor, ô Paludane, Iſidos
Magnæ Sacerdos, magne Myſte, ſingulis
Mens victa hebeſcit; quòd ſimul miracula
Sunt cuncta, cunctis majus hoc miraculum.

De

De officio advocati.

QVi ſancta ſumis arma civilis togæ,
Cui ſe reorum capita, fortunæ, decus,
Tutanda credunt, nomini præſta fidem,
Iuris ſacerdos; ipſe dic cauſam tibi,
Litemq; durus arbiter præjudica:
Voto clientum jura metiri time,
Nec quod colorem patitur, id juſtum puta:
Peccet neceſſe eſt ſæpè, qui nunquam negat.

Ad Dan: Henſium: *cum* Adamum *ſuum exulem ei offerret.*

HEnſi, vetuſtæ reſtitutor orchæſtræ;
Ornas cothurno qui pedes Sophocleo,
Euripideum ſyrma qui tuo vincis,
Et Æſchyleas, & Lycophronis faces,
Et quicquid unquam perditum tragœdorum,
Deſideratumq; hactenus repenſaſti;
Sume hoc amici (nomen hoc inæquales
Si non recuſat) ſin minus, tui ſaltem
Poëma, in arthani quam ſacræ clientelæ
Poſtremus offert principi poëtarum:
Lecturus illud ut beatus exultes,
Cum nos videbis velle, poſſe te ſolum.

In meditationes ſacras Ioan. Meurſii.

CErnimus (en pietas) meditata prioribus annis,
Qualia vix canis otia ſera ferunt.
Magne Deus, vitæ peragit cui penſa juventus,
Neſcio quid faciet, ſit tamen oro ſenex.

OSTENDA

OSTENDA *loquitur.*

AREa parva ducum, totus quam respicit orbis,
Celsior una malis, & quam damnare ruinæ
Nunc quoq; fata timent, alieno in littore resto.
Tertius annus abit; toties mutavimus hostem:
Sævit hiems pelago, morbisq; furentibus æstas,
Et minimum est quod fecit Iber: crudelior armis
In nos orta lues, nullum est sine funere funus,
Nec perimit mors una semel. Fortuna quid hæres,
Quâ mercede tenes mixtos in sanguine manes?
Quis tumulos moriens hos occupet hoste perempto
Quæritur, & sterili tantùm de pulvere pugna est.

In obitum IVSTI LIPSII.

HOc quoque fer totum, sed tristis fama per orbem;
Ille diu plausus, delitiæque tuæ,
Quem populis unum cunctis narrare solebas,
Occidit, & tantum vivit in ore tuo.
Omnis ad exequias quà sol oriturq; caditque,
Hoc est, quà legitur Lipsius, orbis eat.
Præcipuè aspicies domini cùm Tibridis arces,
Fac septem resonet vox lachrymosa jugis:
Lipsius occubuit, cui quantum defuit ævi,
Tantum nescitur, maxima Roma, tui.

In BVSANVALII *periculum.*

NObilium flos docte virûm, cui gratia regis
Tanta patet, quantum vatibus ipse faves;
Si scelus istud aquæ, tua dira pericula, quondam
Vidisset felix carmine turba prior,
Mœonides caneret, quod Vlissi præstitit Ino,
Hoc tibi jam patriæ vota dedisse tuæ.

Parcius

Parcius optaret laudatam Pindarus undam,
Nec ſolus crimen Naiados eſſet Hylas:
Ipſas quas Helicon, juga quas Parnaſſia fundunt,
Suſpectas vates omnis haberet aquas.
Non faceret Pimple, non Pegaſis unda poëtas,
Sed tua pro cunctis fontibus ora forent.

In aulicos urinæ tributa petentes.

AT ille pravi pereat author exempli
Ductor Quiritum Flaviâ ſatus gente,
Qui ſub tributum juſſit ire veſicas.
Quid hunc ſequi vos aulici juvat morem?
Illum cupido ſuaveolentis argenti,
Vos movit odium turpeolentis urinæ.
Hoc ergo diſtat jus utrunque, quòd naſus
Avarus illi, delicatus eſt vobis.

De ambitu.

REbus gerendis, publiciſq; commodis
Natus, petendis hunc honoribus modum
Præſcribe, temet ut auferas, non ingeras.
Ambire ſemper ſtulta confidentia eſt,
Ambire nunquam deſes ignorantia.

Libri an puellis dandi.

CRede nihil noſtris, aut omnia crede puellis:
Lectricis mores pagina nulla facit.
Quæ caſta eſt totum legat incorrupta Catullum:
Illi nil tutum eſt, quæ capit, & capitur.

In adventum Marchionis Spinulæ.

SPinula, virtutes cujus laudavimus olim,
Tunc quoq; cum nobis esset amare nefas;
Spes sit quanta tui, perculsi munere tanto
Si taceant homines, flumina crede loqui.
Illi pro nostris vigilantes finibus amnes,
Qui toties cursus sustinuere tuos,
Strati ponte jacent, æquataq; tramite molli
Pacis amatricem se probat unda tibi.
Nil tibi navigiis opus est, nil pontibus ullis:
Hæc tantum armatos ferre recusat aqua.
Quin etiam cœlum venienti servit: ipsa
Frigora tam longas cum posuere minas.
Quæ tam triste gelu tam felix aura resolvit?
Non solis, non est aeris illa; tua est.
A te tam placidos sumpserunt tempora vultus:
Bella cui debent cedere, cessit hyems.

In libros Io: Meursii *de funere & puerperio.*

VNa papyrus habet supremaque primaque rerum,
Naturæ fines continet iste labor.
Lucinæ pia sacra docet tibi nata recenter
Pagina: non fœtus dulcior ille fuit.
Funera tu recitas, Meursi, quæ nulla libellis
Opto tuis veniant, nec nisi sera tibi.
In laudes vagire tuas tener incipit infans:
Quis scit an & manes hic quoque tangat honos?
Omnes crede tibi populos, tibi dicere mundum:
Qui sunt, qui non sunt, tu facis esse tuos.

Ad

Ad Pacem.

MItis filia maximi Tonantis,
Cujus jam Batavi cruenta ſeptem
Per quinquennia neſciere nomen:
Da nobis veniam, quòd ille alumnus
Bellorum populus, ſati ſub armis,
Et quorum clypei fuere cunæ,
Externis toties dolis petiti,
Quorum non meminiſſe tam ſuave eſt
Quantùm oblivia ſunt periculoſa,
Securiq; diu timore ſolo.
Quam mens tota cupit, petitque, nondum
Audemus tamen invocare pacem.
At tu, ſemina diſparata mundi
Certo fœdere quæ vetas perire,
Belgis redde fidem, ſoloq; fruges,
Cives mœnibus, amnibuſque merces:
Aut nondum bona tanta ſi meremur,
Illos vincere da, benigna, bello
Qui belli ſibi quæſiere finem;
Illos da, dea, peſſimè perire,
Qui per fœdera quæſiere bellum.

In mortem SCALIGERI.

IRet ad occaſum cum lux clariſſima mundi
Scaliger, & ſanctum conderet umbra caput;
Dicitur exemplo tam ſævi funeris æther
Territus, atq; ipſi contrimuiſſe poli.
Te quoq; perculſum, genitor radiate diei,
Credibile eſt, viſo ſidera poſſe mori.
Non minùs ille ſuo luſtrabat lumine terram,
Non minùs in gemino cardine notus erat.

Sed

Sed non tu retro radios in ſecula vertis,
Nec potes heſternum tu revocare diem:
Eriperet nocti qui ſecla, dieſq; diei
Redderit, ille fuit; qui tamen, ecce, fuit.

In Eundem.

VNica lux ſeculi, genitoris gloria, nemo
Quem puerum, nemo credidit eſſe ſenem:
Tam ſibi par unus, quàm cunctis celſior unus,
Et qui ſe totum debuit ipſe ſibi;
Exuperans famâ, quos æquat ſanguine reges,
Sceptrigeris maius nomen adeptus avis,
Hic jacet ille capax immenſi Scaliger ævi,
Nec ſibi mors unquam plus licuiſſe putet.
Quid querimur raptum? mens eſt quâ vivitur: annos
Ille tot exegit mente, quot orbis habet.
Omnia dum retrò mundi veſtigia quærit,
Quærentem retrò deſtituere dies.
Emenſus populos & diſſona gentibus ora
Ambierat, quantum lumine Phœbus obit.
Teſtamur, natura, tibi non defuit ille;
Tu gentes alias, ſecula plura dares.
Vltra Scaligerum nihil eſt: nec Scaliger ultra.
Ille tui finem repperit, ille ſui.

In effigiem SCALIGERI *in Bibliothecâ ſervatam.*

INter mille libros (nec ſedes dignior ulla)
Quæ tulit immenſus Scaliger ora vides.
Mille libros hoſpes nimiùm ne reſpice, major
Hic tibi quem monſtro bibliotheca fuit.

Aliud

Aliud.

CVm plutei doctis turgerent undiq; chartis,
Quas velit æterno fama fovere ſinu,
Exhæredavit moriturus Scaliger orbem,
Et vetuit poſt ſe ſcripta videre diem.
Heu nimium duras è miti pectore leges,
Pro quibus impietas magna ſit eſſe pium.
Digna ſit hac pœnâ præſens quæ vivitur ætas,
Nempe hæc quæ Titios Scoppiadaſq; tulit:
Sed quo poſteritas meruit non poſſe doceri?
Aut quid fecerunt tam bona ſcripta mali?
Parce pater, ſi nos rectè tibi cuncta monenti
Credere in hoc uno cædimus eſſe nefas.
Publica ſunt iſthæc, ſemel ut te fata dederunt
Omnibus inde poteſt jam nihil eſſe tuum.
Sit tamen, ut mandas; nequeant vel preſſa latere
Quæ tantum ex tanto nomine lucis habent.
Quicquid neſcitur foliis quæretur ab iſtis,
Hinc ſibi reſponſum maxima turba petet.
Quid juvat in populos has non dimittere chartas?
Scaligeri circum ſcrinia mundus erit.

In effigiem eiuſdem paulò ante mortem expreſſam.

HÆc eſt Scaligeri mortem meditantis imago,
Luminis heu tanti veſpera talis erat.
In vultu macies, & tortor corporis hydrops,
Sed tamen & magni conſpiciuntur avi.
Læva tenet chartas Nabathæi munera cœli:
Armatur calamo nunc quoq; dextra ſuo.
Hæc eſt illa manus vitam cui tota veruſtas
Debet, & à primo tempora ducta die.

Quod

Quod si Scaligero meritis par vita daretur,
Non nisi cum mundo debuit ille mori.

In morbum sponsæ IOANNIS REIGERSBERGII.

HÆc quæ te potuit domare prima,
Effræneſq; diu ligare ſenſus,
Cepit, ſed pariter puella capta eſt;
Et contagia traxit in medullas
Flammæ nec tenuis, nec antè notæ.
Et jam pallida lectulo jacebat,
Cum tu ſedulus aſſides cubenti,
Et tangis digitos, & ora mulces.
Solum te videt, audit illa ſolum,
Et luſus faciles, jocoſq; molles
Tanti jam putat, ut valere nolit.
Sed mox fortior exilit cubili,
Et formam recipit, ſuaſq; vires.
Quid mirum? gravis eſt Deus Cupido,
Dum luctamur adhuc, levis ſed idem
Cum victi dominum fatemur ultrò.
Sic nunc illa ſuo calore gaudet,
Et vitam putat hoc, quod ante morbum.

In effigiem Mariæ Mediceæ *Reginæ* Galliarum.

OMnia contulerat magno victoria regi,
Sed deerat ſoboles, hanc Medicea dedit:
Vt quòd non periit, conjux, tibi Gallia debet;
Sic mihi, quòd poterit jam ſupereſſe tibi.

In effigiem LUDOVICI *Regis* Galliorum, *priusquam excessit ex ephebis.*

VIvas, parve puer, sed sic quoq; maxime regum,
Publica cum cujus juncta salute salus:
Et citò te patris doleant virtutibus auctum,
Qui scelere extinctum non doluere patrem.

In prætoria quædam regia Angliæ. None-such.

LVstranti silvas, & devia tesqua Iacobo,
Nonsuithi præses casta Diana, fave:
Sanguinis humani manus hoc tam parca meretur,
Armatam in solas quam juvat esse feras.

Winsor.

EXcelsis Winsora sedens in collibus, astris
Vicinum regem, quo licet, usq; facit.
Subter at arva beans Thamesis leniſſimus amnis,
Sic similem domino se probat esse suo.

In Dan. Henſii *poemata.*

IN diversa diu diversas pectora dotes
Contulit, & parcè larga Camæna fuit.
Quisq; sui vates coluerunt carminis artem,
Singulaq; ad laudes dona fuere satis.
Non epos est Flacco, lyra nec tentata Maroni,
Nec tetigit tragicos ille vel ille modos.
Romani solum Senecam novere cothurni,
Si velit hic elegos scribere, nullus erit.
Sunt & quos sylvæ, sunt quos epigrammata laudant:
Iusta quidem famæ causa, sed una tamen.

Nunc

Nunc congeſſit opes, atq; in te nobilis Heinſi,
Effudit totos prodiga Muſa ſinus.
Tu tandem inventus par donis omnibus unus:
In tot ſufficeres qui bona, ſolus eras.
I nunc, & jacta tua nomina magna vetuſtas:
Ponimus hoc contra tot tua ſecla caput.
Haud equidem quenquam, cui ſingula rectius iſta
Præſtiterit, vel qui tam benè cuncta dabis.

In orationes Dan. Heinſii.

POſt dignum Latio pedem cothurno,
Poſt Roſſæ teneras amationes
Scriptas carmine, quale Naſo, quale
Romanus cuperet ſuum Philetas,
Poſt Flacci citharam, tubam Maronis,
Poſt tantæ trimetros ſeveritatis
Vt rugas ſuperent Catonianas;
Iam Demoſthenicæ ſtitor undæ
Linquis Pegaſeos, amice, fontes,
Regnans eloquio ſolutiore:
Dum nunc ingenii fluentis æſtum
Libertas tibi Tulliana laxat:
Nunc facundia Plinium ſecuta
Conſtringi ſtudet arctiore gyro:
Nunc docti Senecæ refert acumen
Denſis pagina ſeminata gemmis.
Heinſi, vive diu, diuq; de te
Certent Suada potens, novemq; Muſæ.
Quicquid nominibus prioris ævi
Æternum potuit parare famam,
Hoc in te liceat ſtupere ſolo.
Millenis facibus ſuperba nox eſt;
Aſtrum ſufficit unicum diei.

In

In illustrissimi Principis MAURITII *currus veliferos. Currus loquitur.*

DA mihi sidereos in cœlo Iupiter ignes:
Non ego primus ero, sunt ibi plaustra duo.
Me quoq; in Arctoâ ponas regione licebit,
Ne mihi pulvereas abluat unda rotas.
Iam didici vitare salum, dum littora curro,
Iam didici longum carpere siccus iter.
Da mihi quæ Delphin etiam, quæ munera Taurus,
Quæ tulit aurato vellere dives ovis.
Plus erit Europen, vel Arionа ferre, vel Hellen,
Quàm ducis invicti jussa, manumq; pati?
Nec solo vectore (sat est tamen) hæc mihi posco
Præmia; sit cursus ista corona mei.
Non mihi præripiat palmæ victricis honorem
Aut aquila, aut Ledæ gratus adulter olor.
Sidus Erichthonio celeres meruere quadrigæ:
Hic honor in ventis invidiosus erit?
Seu das, sive negas; nil Pindo, nil opus Ossa:
Me meus in stellas axis & aura ferent.

In eosdem currus veliferos.

DIvum, posteritas amica, currus
Versu disce brevi: deûm parentem
Vexerunt Berecinthiam leones,
Et sacri socium furoris Attyn.
Deducunt aquilæ Iovem per auras.
Delphines pelagi per alta Consum.
It Phœbe gemino superba cornu
Mulis Endymionis ad cubile.
Captivos agitat Diana cervos.
Cygnos alma Venus, (sed & columbas)

Et cum Pieriis Apollo Nymphis.
At ſol gaudet equis, & ipſe Mavors.
Gallus Mercurio dicatus ales,
Angues ſub juga vomeris repertor
Miſit Triptolemus, Proſerpinæq;
Mater flebilis, Aeſculapiuſq;,
Primævuſq; ſator fugacis anni.
Pavûm biga trahit Iovis ſororem.
Indorum rapuit per arva tigris
Vinctum tempora pampino Lyæum,
Et miſtam ſatyrum choro procaci
Cinctam nebride Mænadum cohortem.
Vnum Mauritium tulere venti.

Aliud.

FAſſus Iber Batavos domito regnare profundo
Inter ſubactos cæruli fluctus ſali,
At terrâ vincetur, ait, tamen; illa nec Auſtro,
Nec intumenti carbaſo patet via.
Falleris ô demens, ſpe circumventus inani,
Et illa noſtra eſt; nil reliquimus tibi.
Si non Lugduni ſatis es memor, aſpice currum;
Genti Batavæ cum placet, tellus mare eſt.

Aliud.

HActenùs immenſum Batavi decurrimus æquor,
Oceani nobis invia nulla via eſt.
Nerea Cattorum ſoboles conſumpſimus omnem.
Iam nihil eſt ultrà: velificatur humus.

Aliud.

DEfenſor patriæ, patriſq; vindex,
Quem miratur Eos, tremitq; Veſper,

Pulſ

Pulsum fluctibus æquoris Batavi
Littus navigat insolente curru,
Et raptus celeri repente velo
Sulcat Cattigenûm rotis arenas.
Vi mistus Zephyri repentis Auster
Implet carbaseos sinus: locorum
Vanescunt spatia, essedumq; velox,
Vectum remigio fugacis auræ,
Semper littoreas novas, novasq;
Et cernit simul, & relinquit Alpes:
Vidi: quatuor & decem duabus
Terræ millia permeantur horis:
Et trabs fluctibus impedita nullis
Æquat penè suos citata ventos,
Quicquid præpetibus levatur alis,
Quicquid per liquidas movetur undas
Hic currus superat, sed una currum
Vincit Mauritiæ quadriga famæ.

Aliud.

AVræ jugales, & quadriga ventorum,
Latè patentes quæ per aëris campos,
Vastumq; inane, spiritus vago cursu
Servis Batavæ gentis imperatori:
Ite, ite ad astra, sede fulta sublimi,
Collegioq; nuntiate cœlesti,
Nassaviorum stirpis inclytum germen
Vicisse forti Martis impetu terras;
Vicisse fluctus, atq; jura Neptuni:
Nunc & subacto patris Æoli regno
Dictare leges impotentibus flabris.
Flammata cœli templa, & aureos ignes
Restare tantùm; namq; & illa debentur.
At nos precamur civitas Batavorum

Ne

Et cum Pieriis Apollo Nymphis.
At sol gaudet equis, & ipse Mavors.
Gallus Mercurio dicatus ales,
Angues sub juga vomeris repertor
Misit Triptolemus, Proserpinæq;
Mater flebilis, Aesculapiusq; ,
Primævusq; sator fugacis anni.
Pavûm biga trahit Iovis sororem.
Indorum rapuit per arva tigris
Vinctum tempora pampino Lyæum,
Et mistam satyrum choro procaci
Cinctam nebride Mænadum cohortem.
Vnum Mauritium tulere venti.

Aliud.

FAssus Iber Batavos domito regnare profundo
Inter subactos cæruli fluctus sali,
At terrâ vincetur, ait, tamen; illa nec Austro,
Nec intumenti carbaso patet via.
Falleris ô demens, spe circumventus inani,
Et illa nostra est; nil reliquimus tibi.
Si non Lugduni sanis es memor, aspice currum;
Genti Batavæ cum placet, tellus mare est.

Aliud.

HActenùs imminensum Batavi decurrimus æquor,
Oceani nobis invia nulla via est.
Nerea Cattorum soboles consumpsimus omnem.
Iam nihil est ultrà: velificatur humus.

Aliud.

DEfensor patriæ, patrisq; vindex,
Quem miratur Eos, tremitq; Vesper,

Pulsum

Pulſum fluctibus æquoris Batavi
Littus navigat inſolente curru,
Et raptus celeri repente velo
Sulcat Cattigenûm rotis arenas.
Vi miſtus Zephyri repentis Auſter
Implet carbaſeos ſinus: locorum
Vaneſcunt ſpatia, effiedumq; velox,
Vectum remigio fugacis auræ,
Semper littoreas novas, novaſq;
Et cernit ſimul, & relinquit Alpes:
Vidi: quatuor & decem duabus
Terræ millia permeantur horis:
Et trabs fluctibus impedita nullis
Æquat penè ſuos citata ventos.
Quicquid præpetibus levatur alis,
Quicquid per liquidas movetur undas
Hic currus ſuperat, ſed una currum
Vincit Mauritiæ quadriga famæ.

Aliud.

AVræ jugales, & quadriga ventorum,
Latè patentes quæ per aëris campos,
Vaſtumq; inane, ſpiritus vago curſu
Servis Batavæ gentis imperatori:
Ite, ite ad aſtra, ſede ſuſtra ſublimi,
Collegioq; nuntiate cœleſti,
Naſſaviorum ſtirpis inclytum germen
Viciſſe forti Martis impetu terras;
Viciſſe fluctus, atq; jura Neptuni:
Nunc & ſubacto patris Æoli regno
Dictare leges impotentibus flabris.
Flammata cœli templa, & aureos ignes
Reſtare tantùm; namq; & illa debentur.
At nos precamur civitas Batavorum

Ne jura Olympi vindicet, niſi ſerò:
Sed hic moretur, differatq;, contentus
Cepiſſe cœlum mente, dum vias Phœbi,
Lunæq; motus, ſiderumq; permenſus
Auſus profundos æmulatur Euclidis.
Hic voce malit plebis, & ſenatorum
Princeps, paterq; patriæ ſalutari:
Hic ſæpè fuſis gentis Aſturum turmis
Victrice lauro vinciat ſibi frontem,
Iſtoq; curru gaudeat triumphali.

Aliud.

PHœbe, quid attonitus nos aſpicis? aſpice verò:
Hoc curru poteras accelerare diem.

BREDA *victa.*

HOllandos non immeritò mirabitur hoſpes
Ad Vulcani uſum ceſpite poſſe frui.
Dic mihi jam quantò meliùs mirabitur idem,
Perficere Hollandos ceſpite Martis opus.

Neomagum *captum.*

QVantumvis tot ſecla tibi, Neomage, pugnentur,
Vna tot eſt ſeclis lætior illa dies
Quâ tu Naſſavios auxiſti capta triumphos;
Quin potius nunc es libera, capta prius.

Zuthphania *capta.*

ACceſſit titulis etiam Zuthphania noſtris,
Non niſi Mauritio principe digna capi.
Spe nihil eſt citius; tamen hanc victoria vicit:
Obſediſſe grave eſt credere, victor erat.

Navagatio

Navigatio Maris Cronii.

Hìc inter terræq; nives glaciemq; profundi
Patrhasis ignotas educat unda feras.
En solem Batavi post terga reliquimus ipsum;
Hìc quò nos undâ venimus, unda perit.

Wachtendoncha *capta.*

WAchtendoncha tuos hyberno frigore muros
Nassaviæ subitò perdomuere manus.
Felices nimium quibus omnis militat annus,
Permittit sterili bruma nec esse sibi.

Ad Neoportam *prælio felici certatum.*

ÆQuatâ virtute diu trepidavit Enyo,
Hic ubi nunc Flandri littoris ora rubet.
Commendare suum voluit victoria donum:
Mauritio casu vincere non satis est.

Ostenda *fortiter defensa.*

QVi Batavûm numeras partos tot ab hoste triúphos,
Ostendam ponas hac quoq; parte rogo.
Cladibus immensis, & sumptibus, & tribus annis;
Hocmodò lucrari, perdere non capere est.

Clusa *capta.*

VVlnere cum nullo vallum potuisset, & uncus
Multa manus, Clusam tradidit una fames.
Cur non Lugdunum potuit prius? altera res est:
Esurit hæc dominis, esurit illa sibi.

De expeditione in Flandriam.

FLandria, ſi nondum periiſti tota, nec idem
Qui domuit vires, pectora fregit Iber:
Heu famulaturos ſaltem miſerere nepotes;
Quid cauſæ dubitas ipſa favere tuæ?
Militat invictis tibi tota Batavia caſtris:
Et Valachrus ſociam trans mare mittit opem.
Hæc amiſſa tibi libertas obtulit arma;
Nequicquam: quærunt, proh dolor, arma manum.
At tibi ſervitium civili ſanguine conſtat,
Atq; emitur magno nil niſi regna pati.
Perpetuum poſthac tellus ingrata valeto,
Digna vel hoc ipſo, vel graviore jugo.

Quæ prælium Flandricum *anteceſſerunt.*

TEmpus adeſt pugnæ: poſcunt ſibi prælia dextræ:
Vtraq; pars alacri tendit ad arma manu.
Solvere Mauritius jubet omnes littore naves,
Exitio nobis ne foret iſta ſalus.
Claudimur hic utrinq; malis, ait, hoſte, mariq; :
Æquor enim hinc, illinc æquore pejor Iber;
Aut bibet Heſperium gladii gravis ira cruorem,
Aut vos lethiferas ore bibetis aquas.
O quàm certa fuit victoria, principe tali,
Per quem ſpes certæ non fuit ulla fugæ.

Symbolicum.

AVrea libertas uno commiſſa maniplo
Aſtringit nodis Belgica pila ſuis:
Dumq; aquila Auſtriadum curvis divellere tentat
Vnguibus, indomitus vindicat iſta Leo.

Rex

Rex avium dicare licet, pugnare Leoni
Non poteris; si vis salvus abire, vola.

Somnia.

SOmnia sollicitæ pars securissima vitæ,
Quæ sensi toties esse miserta mei:
Si licet, & fas est & tutum vera fateri,
Plus vobis, ipsi debeo quàm dominæ.
Nam dominam per vos video facilemq; bonamq;,
Et qualem speret vincere fidus amor.
At foret in terris nil me felicius uno,
Si quod dormire est, hoc vigilare foret.

Ensis.

OTia qui gemino pendens agit ensis in unco,
Ivit in Albani militis ille latus.

Gladius Toletanus.

VNda Tagi non est uno celebranda metallo:
Vtilis in cives est ibi lamna suos.

Bombarda.

CErtius hæc tangunt inimicas tela cohortes.
Fallor? an hinc didicit Iupiter esse tonans.

Pluteus.

SCrinia perlatas servant mihi mille salutes:
Si modico possem vendere, dives eram.

Pixis arenaria.

PVlveris aurati pluviâ ſit ſparſa papyrus:
Reſcribet Danaë ſollicitata, veni.

Calculi argentei.

CAlcule fac noſtris faveas argentee lucris:
Si deerunt nummi, tu quoq; nummus eris.

Almanach.

ANnua charta notat totâ cum prole Calendas,
Non aliam malles ſæpius eſſe tuam.

Turbo cum ſcutica. Ad puerum.

QVid meruit turbo, quem tu vibice fatigas?
Hæc natibus fuerant debita flagra tuis.

Soleæ ferratæ.

QVæ Batavûm miratur hyems ſola ferrea cernis?
His per aquas, nec aquas, ire, nec ire, licet.

Perſpicillæ.

VIx ſpectas vitreis jam luſcitioſus ocellis:
Hæc ſi perdideris lumina, cæcus eris.

Sciatheris.

DAnt medios ſoles contractæ gnomonis umbræ:
At mihi pro tali gnomone, venter erit.

Sphæra

Sphæra cœleſtis.

SIdereos vultus, cantataq; vatibus aſtra
Non opus eſt cœlo quærere, quære domi.

Forceps.

QVi populis biſidi monſtravit forcipis uſus,
Primus inexperto læſerat igne manus.

Batillus lectarius.

IGne, ſed incluſo, ſi quid tua fila biberunt,
Decoque; ne lectus ſudet, & ipſe tremas.

Collare lineum.

CÆruſa triticeus pingit collaria ſuccus:
Non alimur tantum farre, ſed induimur.

Larva puellaris.

PVlvere ſordidior vultus, cute nigrior Indâ
Quid timet? an larvæ non ſatis ipſa fuit.

Annulus pronubus purus.

PIgnus habes fidei nullis violabile gemmis:
Hoc illud vetus eſt; aurea ſimplicitas.

Armilla puellaris.

SI mihi, brachiolum claudit quæ parva ſiniſtrum,
Armillam dederis, annulus eſſe poteſt.

Vitrea pocula.

MAteries fragilis commendat pocula vitrum:
Est aliquid, fieri tam citò posse nihil.

Calix aureus.

NOn fortûita dabis pretioso vina metallo,
Sed pro Mauritii digna salute bibi.

Chirotheca odorata.

VAginam manibus cupio de pelle caninâ,
Sed quæ Sabææ stercora felis olet.

BERNARD. BAVHVSIVS.

In septem psalmos pœnitentiales DAVIDIS *Regis. Ad lectorem.*

DEjiciant liquidas tibi vitrea lumina gemmas:
Sic, sic, non aliter vult liber iste legi.
Quòd si rore tuo vel linea prima notetur,
Cætera nil opus est evoluisse tibi.
Si nescis, flere hîc legere est: ille omnia legit,
Quem Libri primo in limine pœnituit.

Terra vallis lachrymarum. Ad PAULUM.

VErè dicitur, estq; terra vallis
Amarissima, Paule, lachrymarum:

Ab

Ah sic est? lachrymas quotidianas
Quas fleas, dabit omnis hora causas.
Dolorum omnium, amaritudinumq;
Hæc est patria; terra nostra vallis:
Non potest aqua vallibus deesse.

De amante & amente.

DIcite cur longa est amentis syllaba prima,
In sano contrà cur in amante brevis?
Sic, credo: furor est amenti par & amanti;
Sed furor est illi longus, huic brevis est.

Relligio Batavica.

HÆc est in Batavis libertas pessima terris,
Fides cuiq; libera est.
Vivitur in centum fidibus dicam, anne fidebus?
Sua cuiq; domus ecclesia est.
Et numerus capitum, numerus jam penè siderum est;
Erubeo; ridet Alvarus.
Barbariemq; notat nostram, nec mille fidebus
Nec vult siderum dicier.
Quid faciam? cogunt Batavi, numerusq; siderum;
Vetat Magister Alvarus.
Vah Batavi! pudeat, pudeat vos relligionis,
Quam barbarum est vel eloqui.

Spiritus Sti *imago, columba.*

ILle Deus pacis, volucres hæ pacis; amantq;
Candida tecta illæ, candida corda Deus.

Laus Deiparæ.

ESt locus in terris, liquor in quem puppifer omnis
Confluit, & laticum quicquid ubiq; natat:
Eſt in quam virtus, & gratia confluit omnis,
Et diæ dotes: hæc maria, hæc *Maria*.

In Lycam *è remige equitem factum.*

REmigibus genitus, liniq; hamiq; magiſtris,
Squammigerum quibus eſt fallere cura gregem,
Nunc fertur neſcire Lycas nomenq; genuſq;,
Splendidus è nautâ paupere factus eques.
Sicq; ſalutatur cunctis: ſalve; & mihi, ſalve
Mæcenas atavis edite remigibus.

In Perſam *ducem bello captum, & ſacra* Chriſtiana *ficti è ſuſcipientem.*

DAnaeiâ de gente dux pharetriger,
Sacris relictis Perſicis,
Ad ſacra nuper Chriſtiana tranſiit,
Quo ſolverat captum pedem:
Ablutus ergo Epiſcopali dexterâ,
Vndaq; tinctus publicâ
Implevit urbem gaudio, at mox Perſicis
Deluſit urbem fraudibus.
Scelus fefellit! quoq; falleret magis
(Sermone dulci ac perfido)
Ferebat hoc in ore ſemper ſymbolum,
* Soli deo honor & gloria.

* *Sol deus Perſarum.*

De

De Virgilio *veteribuſq; poetis.*

LVcanus rapidus, numeroſus Horatius, Vmber
Maſculus, argutus Bilbilitanus olor:
Flumineus totus Naſo, ſalſus Iuvenalis,
Perſius eſt doctus, Silvius ore gravis.
Veronæ paſſer tener eſt, placiduſq; Tibullus,
Philoſophus Carus, Statius armiſonus:
Floridus eſt cantor Stiliconis, grandis & ardens
Et monitor Seneca eſt: omnia Virgilius.

Ad Herodem.

BEthlemiæ matres unum te, Herode, precantur,
(Non pœnitebit quando feceris juro)
Vt laqueo tua colla liges, nodoq; ſigilles;
Non pœnitebit quando feceris juro.

In Othonem *avarum.*

SErit arva centum, & arva centum demetit
Otho quotannis: nil eum fallit ſeges,
Anniq; rara pallet ad mendacia,
Tam fida curvis ſunt aratra falcibus.
Natantur illi ſtagna non minus decem
Vitreoq; pecore vitrei turgent lacus.
Vvæ beata creſcit illi purpura,
Faciliſq; Flandris erubeſcit ſolibus.
Hæc tanta divûm, tamq; larga munera
Flagellat Otho, veſanienſq; interficit.
Betas fabriles, & capillata intyba
Et vile porram, & languidum cœnans olus.
O læva mens! ô corda cordis indiga.
Pecunias habet Otho, χρήματα non haber.

De CHRISTO *Domino, &* PETRO APOSTOLO *crucifixis.*

CVr Petri ſurſum plantæ, Chriſtiq; deorſum?
Sub terras ibat Chriſtus, in aſtra Petrus.

Die VENERIS CHRISTUS *paſſus.*

LVce obiit Veneris, Veneris ſle turba; videtur
Cauſa Dei paſſi non minima eſſe Venus.

Tacere.

DIcendi ars magna eſt, maior (mihi crede) tacendi;
Mille loqui docuere artes, ſed nulla tacere.

In HERODIADIS *filiam aquis merſam.*

MErgere, ſaltatrix, mollis fuerat tibi vita,
Vndarum tibi mors debita mollis erat.

Ad PONTICUM *varia hinc illinc damna paſſum.*

VSſerunt bis ſeni olim tua tecta Batavi,
Pontice, quos captos Tityi eſt depaſta volucris;
Et latronivori lanarunt in cruce corvi:
Nunc tauris infeſta tuis manus unca, rapaxq;
Brandenburgiadum eſt; quin & tua ſpicea regna
Lunatam nuper fruſtrà expectantia falcem
Fregit eques rabidus; dura, mi Pontice, dura;
His paſſus graviora, dabit Deus his quoq; funem.

Pigmæi Epitaphium.

HÆc tibi Pigmæo domus eſt æterna ſepulto,
Parva quidem, domino ſed tamen apta ſuo.
Vixiſti, parvis poteras cum currere in armis,
Nunc Palamedæo victus ab ungue jaces.
Fila tuæ fuerant adeo ſubtilia vitæ,
Neret ea ut ſpeculis de tribus una ſoror.
Sed tamen & tenuem decerpſit forfice lanam,
Et quæ vix potuit fila videre, ſcidit.

Scypio Major *de clypeis.*

NIl mihi vobiſcum eſt, ignavæ hinc cedite lamnæ,
Ite alio clypei, vos levis Afer emat.
Mars ego Romanus; tunſa hac jacit Africa dextrâ:
Scuta gerat lævâ, dextera læva cui eſt.

Ad Io. Brantium *de muſis ſuis.*

OMnia ſi laudas mea, Branti, cæcus amore es,
Omnia ſi culpas cæcus es invidiâ.

Lex & lis.

FIlia lex litis: bona filia, peſſima mater.
Filia lis legis; mater bona, peſſima nata.

Mnemoſyne, *mater Muſarum.*

CVr te, Mnemoſyne, pingit ter littera terna?
Ter terna eſt, inquit, filia docta mihi.

Ad

Ad Marianum, *de* Camillo *avaro.*

QVòd bene ſervet opes, laudas, Mariane, Camillum;
Scrinia laudari ſic, Mariane, ſolent.

Virtus & Ventus.

MAſcula quòd virtus muliebri pingitur ore;
Quodque leves venti maſculea ora gerant;
Non ideo tumidis jactet ſe fœmina verbis,
Nec generoſa viris purpuret ora pudor.
Dicta per antiphraſin ſunt olim plurima priſcis,
Nos hæc credamus picta per antiphraſin.

Domitianus *Imp: inter diſtentos pueri procul poſiti digitos ſagittas dirigere norat.*

LAudem? non faciam. Nam ſi tua ſpicula in hoſtem
Sic mittis, ſanè es, Domitiane, rudis.

Franc: Flori *pictoris Fortuna.*

APellis ille, & æmulator Zeuxidis
Florus, ſuperbæ nomen ingens Belgicæ,
Volubilem cum pingeret Sortis rotam,
Pinxit videntem ſed chiragricam deam:
Videt ſat, inquit, ſed ſatis dat nemini.

In Iuſti Lipſii *obitum.*

SVnt buſto in Pario, ſunt qui tumulantur eburno,
Sunt qui marmoribus, Lipſius in lachrymis.

Quid

Quid columba, & ſerpens.
Ad MARINVM.

VT nulli noceas, columba fias;
Vt nemo tibi, ſis, Marine, ſerpens.

De GALBVLA, *puero grammatico.*

GAlbula, grammatici ſemeſtris tyro palæſtræ,
(O multi ſplenis fabula, vera tamen!)
A ſocio nuper, dum fit ſine ſanguine pugna,
Vrgetur, mortis quod putat eſſe genus.
Eſt commune duûm, dixit: quod ſic probo, mortem;
Fœmina, vir, fecit; fœmina, vir, patitur.

Anima & Caro.

QVæris cur animâ caro fortior? accipe cauſam;
Hic carnis patria eſt, hic animæ exilium.

Magdalena, Scævola.

MVtius errantem dextram ferus ignibus uſſit;
Si non erraſſet, fecerat ille minus.
Magdala peccarat, Ieſum pòſt fortius arſit:
Si non peccaſſet, fecerat illa minus.

Medicus.

REs miſera medicus eſt, cui nunquam benè eſt,
Niſi malè ſit quam plurimis.

In Fortunam.

SIccine in humanis ludis, ſors perfida, rebus,
Et ſanctâ bellum cum ratione geris?

Dives

Dives prolis eget Proclus Dux; pignora Lauſo
Ter tria ſunt, prolis non eget, æris eget.
Vertito cæca Tyche; da cui rapis, & rape cui das;
Lauſo aliquid Proculi, Lauſi aliquid Proculo.

Agrippina, Nero.

POcula ſæpè ſui bibit Agrippina Neronis,
Tutò nec ipſis ebibenda viperis:
Sed docto liquidam vicit medicamine peſtem:
Quid tum tyrannus? rugit leo Nero,
I citò, lictor, & hoc ferro mihi percute matrem.
O flenda mors Simonidæis lachrymis!
Flere tamen nequeo: cur tam mihi cornea fibra
Quæris? recordor illius, *modò imperet.*

Qualis ducenda vxor, *ad* Laurum.

Alunt marita te ſubire vincula;
Dilecte Laure; vertat, ô vertat benè!
Benè cadat alea! ſit tibi carcer levis!
Sed obſequentem, nec gravis ſupercili,
Et virginem, ſuaq; gaudentem colo,
Suoq; tantum, Laure, notam limini
Memento capere, compedum leviſſimam.
At nolo doctam, nolo doctam fœminam.
Turbas datura eſt docta, ſe virum geret:
Cœlo unica eſt, & unica hæc haſtam gerit.

Mendicus.

DE Deo loquor libenter, non libenter audio.

In Senatum ituri affectus pro curiâ ponunto.

VNum triplexq; numen quod Roma colit,
Vnum triplexq; numen hoc pius colo.
Adulterum, omniprocumque deteſtor Iovem
Totumq; deſpuo, curiæ tamen velim
Stare ante januam Iovem poſitorium.

De poeſi extemporaneâ. ad Lauſum.

TRes ego, ſed tu trecentos, Suevit eſſe Aquarii.
Lauſe, verſus fabricas, Curre, curre, magne vates,
Vnicâ brevique luce; Me juvat lentum ſequi:
Qualis hiſpidi capri, Tarda quercus eſſe malo,
Piſciumve, vel madentis Quàm recens cucurbita.

Ad MOMVM.

QVo, ſcelus, Ariſtarchêa, quo Lycambêa
Fers arma, Mome? ſanguinarium Theta,
Obelumq; triſtem, ſpongiamque lethantem
Cui minaris? méne, me petis, Mome?
Abſiſte, fruſtra es, nil tyrannicæ limæ,
Iſtiſque rugis, naribuſque debemus.
Auriga mollis mollium columbarum
Non hîc movetur, Cypridiſque quam culpes
Hic ſolea nulla: incedimus cothurnati.

In AVLVM, *ſoteria largius bibere ſolitum.*

VT valeant Reges, diadematique Monarchæ,
Sæpius, & plus quam ſit ſatis, Aule, bibis;
Vnde tibi ſitiens nunc venit, & aridus Hydrops,
Hoc bibere eſt aliis, Aule, ſitire tibi.

In Hermetem *Rhetorem.*

BAlbus,& imberbis,vacuum, & ſine Pallade pectus,
Orare juſſus rhetor Hermes:
Vix primum Quanquam, vix dixerat, Auditores;
Os perdidit,memoremq; mentem.
It cœlo riſus: quid rides turba proterva?
Reſpondet expectationi.

Vltionem paranti.

CÆſi fata patris juraſti,teſtibus aſtris
Vlciſci armiferâ,flammiferaq; manu.
Deprecor,at fruſtra. Cœlo ſim perfidus? inquis?
Stulte,hac perfidia turpior ipſa fides.

De nato & paſſo Chriſto.

ONati Chriſti bona nox,ô lux mala paſſi!
Lux mala luce cărens,nox bona nocte carens.

Dei filius, in utero Mariæ.

STupeſce terra! Olympicum,
Interminum numen, Chao
Omniq; principio prius,
Hic,hic puellæ parvulæ,
Et vix triluſtris virginis
Vtero Mariæ clauditur.
Vah! punctus ambit circulum.

HERCULES.

IOles amore captus eſt,
Omphalæ amore victus eſt,

Ille

Ille, ille, victor omnium,
Fortissimus Tyrinthius;
Risit puellus teliger,
Et arcui inscripsit suo,
Amor Hercules est Herculis.

Invitante LICINIO *rus deserit, urbem petit.*

ERgò picta mihi relicta rura
Et rivi levè murmurantis undæ,
Et fons vitreus irrigator horti;
Lucus Musicus, aëriſq; cives
Cantores nemorum mihi relicti;
Inq; urbem pede non volente veni,
Vndanti populo lutoq; nigram?
Hæc tibi, Licini, frequens videtur?
Mi certè magè sola rure sola est.
Vale rus, dabit hæc mihi urbs eremum.
Hæc sunt millia solitudo nostra.

In obitum CHRISTO: CLAVII.

CLavius è terris cum jam vix sidera posset,
Da Deus hæc propiùs cernere, dixit; obit.

In mortem ABSALONIS.

DAvidiæ crines justo librentur an auro,
Scire hoc vult arbor; librat & ipsa virum.

Angeli Pacis *amarè flebant. Ad homines.*

FLebant amaram Pacis Angeli necem,
Flagraq;, crucemq;, & fata Christi immitia.

Flendum

Flendum Angelis est, risibus cum vos datis:
Ridere vultus Angelos, lachrymamini.

Ad Cardanum.

TErræ jugera tu decem
Auri contegis unciâ?
Ast quadriplagum ego solum,
Et cœli ingentia mœnia
Faxo auri tegat uncia:
Dices, in tabula; rem acu.

In Puppum *pumilionem*.

DVm moriens suprema animæ fert frigora Puppus,
Nemo parat tumulum, pyxide, condar, ait.

De M. Antonio Mureto *oratore clarissimo*.

ROmuleam nuper Pallas dum viseret urbem,
Turbaq; cum Phœbo Melpominæa suo.
Mureti os dium Pimpleides admiratæ
Fulmine nunc ruere, flumine nunc fluere;
Et modo flexanimâ mella Itala fundere linguâ,
Attica nunc doctis fundere mella labris,
Clamarunt Divæ: gaude, Tritonia, gaude;
Quæ sine matre dea es, non sine fratre dea es.

In Corbam *anum merobibam*.

POtare florem sueta Liberi Corba,
Decoxit omnia; nilq; relliquum fecit
Rugæ senili, annisq; tristibus gaudî.
Et jam podagrâ, litiganſq; chiragrâ,
Siticuloso & intumescens hydrope,

Crudele

Crudele numen improbos vocat divos.
Quiesce, Corba, sanxit hoc Adrastæa,
Qui delicatè pranderit, malè ut cœnet.

AUGUSTINUS MASCARDVS.

ANNIBAL *orbatus lumine.*

ARdet in Italiam, Italiam vorat Annibal hostis:
Quanti emet Italiam? charior est oculo.

CLÆLIA.

ASpicis ut sexu major Tiberina fluenta
Transnatat, & vitam Clælia credit aquis?
Nec premere unda potest generosi pectoris ignes,
Condere nec tantum nox inimica jubar.
Emicat, & fluvio stillantes roscida crines
Stella velut salsis aurea surgit aquis.
Thermodon taceat, vincuntur Amazones: illæ
Multum pugnando, hæc plus fugiendo potest.

Virginius *filiam interempturus.*

FVnere virginitas emitur benè; funera perfer,
Dives erit pretio sanguinis emptus honor.
Appius hoc gladio, non tu, mea nata, peribis:
Ipsa feres vulnus, vulneris ille noram.
Dixit, & invito rimatur viscera cultro;
Et se, quis credat? consecrat ense patrem.

Filia matrem lacte pascens.

LActe parens natam foviſti; nata parentem
Lacte fovet, matris ſedula facta parens.
Scilicet ediſcet quid proſit, amore magiſtro;
Et quæ naturâ eſt filia, mater erit.
Fortunata parens ſeris pueraſcis ab annis;
Incipis & vitam penè ſepultâ novam.

Cocles.

ITe, quibus premitur numeroſo milite mundus;
Quærite non quotus, at quantus in arma ruat.
Quantus erat Cocles, neſcis? hinc diſce, quòd urbem
Immenſam clypei contegit orbe ſui.

Annibalis *tumulus.*

ANnibal hic ſitus eſt: cineres venerare viator,
Dum legis invicti nomina tanta ducis.
Pectoris igne nives, præruptas robore cautes
Vicit, & objectas, ſaxa ſuperba, moras.
Poſtquam alios vicit, dirâ ſe morte peremit;
Et fuit ipſe ferox Annibal Annibali.

CÆSAR.

ET gladio, & calamo Cæſar famæ ampliat ævum:
Fulgurat hinc doctus, ſtrenuus inde tonat.
Ite duces, qui magna agitis; qui ſcribitis, ite
Hiſtorici: & facere & ſcribere Cæſareum eſt.

Annibalis Spazzini *caput è marmore.*

SVm lapis, Annibalem forſan quem rere, viator;
Sed lapidem artificis vix ſinit eſſe manus.

Cætera

Cætera si simili pinxisset membra labore,
Ipsum opus artificis falleret artificem.
Docta pedes renuit capiti supponere dextra,
Ne pedibus vivens artis abiret opus.

In obitum jurisconsulti clarissimi.

IVstitiæ simulachrum ingens, lex viva, severo
(Heu facinus) Parcæ vulnere pressus obit.
Scilicet insultans Lachesis, lex omnibus una est,
Occidat ut quondam qui modò vixit, ait.
Hinc ferit insontem: fatorum legibus ille
Subditus, exemplo jura colenda docet.
Fassa nefas Lachesis, fuerat quis justior illo,
Si moritur leges ne violentur? ait.

CASPAR BARLEVS.

In HOLLANDIÆ *australis à* IACOBO Vander Eyck *descriptæ partem aquis mersam.*

VIderat has clades, & prisci incommoda secli
Eychius, & patriæ naufraga busta suæ:
Nominaq; ut sensit tenebris & fluctubus abdi,
Et rerum memores vix superesse notas;
Surgite, ait, veteres, Faunorum prædia, villæ,
Alteraq; extinctis vita resurgat agris:
Quos mersistis aquæ, chartis signentur in istis,
Præteritosq; legant secula nostra dies.
Si quid in has juris Thetys habet improba terras,
Imperium tantæ diluet hora deæ;

Tempo-

Temporaq; amiſſas reddent venientia ſedes,
Quæq; natant, lucrum poſteritatis erunt.
Sic pelagi rabiem, ſic divum eludimus iras,
Et proſunt chartæ, dum nocuiſtis aquæ.

Amſtelodamum.

QVicquid mortalis fingit ſolertia curæ,
Vel natura ſuo parturit alma ſinu,
Illa dabit, totoq; parans commercia mundo,
Nunc emere, & totam vendere ſemet amat.
Moſchus, Arabs, Perſæ, Maurus, Iudæus, uterq;
Quod ferat huc, rurſuſq; auferat, Indus habet,
Hanc dum mundus adit, mundumq; hæc ipſa pererrat,
Non urbs fixa loco, ſed vagus orbis erit.

Rotterodamum.

HIc meus Auſonii vindex ſermonis Eraſmus
Vagiit, & cunis abdidit ora ſuis.
Meoniden jactet Colophon, Verona Catullum,
Sufficit ad laudes hunc genuiſſe meas.
Me timet Hiſpanus, timuit grex barbarus illum;
Ille meis victus elaſſibus, hic calamo.

GORICHEMVM.

ASpicit invictis hanc cinctam mœnibus urbem,
Quem Vahalis, & quem flumine Linga vehis.
Aſpicit Heſperiis quæ propugnacula bellis:
Quam fremit excuſſis machina crebra pilis.
Sic didicit bellare ſibi, nec milite ſolùm
Tuta, ſed ipſa ſuis civibus eſſe cupit.
Erkeliis quondam ſubmiſit ſceptra dynaſtis,
Hæc quoq; jam damnans nomina, tota ſua eſt.

Quid

Quid toties Batavum depingis Belga leonem?
Qui patriam cuſtos aſſerit, iſte leo eſt.

HAGA.

SEdes priſca ducum; non urbs, tamen urbibus ipſa
Major, & à Batavo principe nomen habens;
Hic Themis, & ſacras loquitur prudentia leges
Et trepidos inſons excipit aula reos:
Auriacuſq; meis accedens laudibus heros,
Altius auguſtum tollit ad aſtra caput.
Cum ſociæ pugnant urbes, pugnantibus adſum;
Et partem pugnæ conſuluiſſe puto.

In ſcriptorem ineptum.

SÆpius emerito ſolvi ſeſtertia nautæ,
Dum mihi crebra tuâ litera ſcripta manu eſt.
Ne numerem poſthac nautæ, ſic, Aule, paciſcar:
Vt taceas, cupio plus numerare tibi.

In Helluonem.

HEri vocatus venit ad meam cœnam,
Quo nil virorum ſol guloſius vidit;
Nec eſitaſſe plus queat Saguntinus,
Mutinæq; civis, aut Cyclopicus venter,
Orciq; Nytos, & vorax Phari monſtrum.
Lactuca primùm ſeſſilis gulæ ceſſit,
Præludiumq; vile perna cœnanti,
Strinxit petaces pinguis offa gingivas,
Armuſq; ovillus dentium minas ſenſit:
Moxq; ore eodem pectus anſeris condit,
Quatuorq; turdos, centum edacior turdis;
Quin ſex placentis una bucca diſtenta eſt.

Poſthac

Posthac Milonem ne suum Croton jactet,
Taurum vorare possit hic Milo noſtras.

In cæcum inter equos Valekenburgi *ambulantem.*

PEr fora magnanimis latè celebrata caballis
Ambulat, & latis cæcus inerrat agris.
Inter equos graditur, laudatq; ferocia colla,
Terribilesq; comas, compositumq; gradum.
Non oculis opus est ultrà tactuq; probari:
Num sint degeneres, olfacit unus equos.

In adventum principis Frederici Henrici *sub vesperam.*

DVm nova Battavico tibi parta est laurea bello,
Excipit & reducem patria læta ducem,
Vesper erat; Phœbusq; suos jam merserat ignes,
Æthereæq; polo delituere faces:
Tota tamen festis collucent compita flammis,
Quemq; negat cœlum, dat tibi Belga diem.
Fac etiam nullo tenebras fulgore fugari,
Sat Batavis noctes, te veniente, micant.

In Godefridum *de* Hœstrecht *mathematicum, volantes aves balistâ dejicientem.*

DVm medium tranant veloces aëra mergi,
Discolor & summis nubibus hæret avis;
Dejicit æratâ volitantia corpora glande,
Doctaq; suspensum machina sternit onus.
Nil tutum natura tuæ jam subtrahit arti,
Nec proprias usquam provida servet opes.

Tu volucres imâ positus tellure reposcis,
Et via quæ nobis invia, certa tibi est.
Omnia rara facis, metiris sidera, terram;
Et victi spoliis ætheris unus ovas.

OVIDIUS.

IVdice sim quamvis damnatus Cæsare: pœnâ
Absolvar, causam si modò dicat amor.

HORATIUS.

OMne vafer vitium ridenti dicis amico,
Sed dicit vitium Lydia sola tuum.

CATULLUS.

SI cantare Iovem proprios fas esset amores;
Hoc, & non alio posceret ore loqui.

TIBULLUS.

CVr tibi Sulpitiæ, tibi cur placuere Neræe
Basia, quem Musæ deperiere novem?

LUCANUS.

CVi minus historicus credor, minus esse poeta,
Me minor est vates, & minor historicus.

MARTIALIS.

NE Fescenninum, lector, contemne poetam,
Nam, quæ non facimus, sit ceciniisse parum.

Penna.

AEriis quondam volitans in nubibus hæsit,
Et refluis eadem viva natavit aquis,
Magnificas procerum decorat, sed mortua, mensas,
Et tremulam summo vertice Teuto quatit.
Præteritos reddit, præsentes prorogat annos,
Invidiamq; seri temporis una domat.
Absenti loquitur, lædit rostrata, juvatq; :
Dumq; aliis vitam fœnerat, ipsa caret.

Tabacum.

NOn bibor, & bibor, & populo sũ potus, & haud sũ;
Mandor ab occiduis, nec tamen esca fui.
Otia qui fugiunt, in nobis otia perdant,
Et magnâ peragunt sedulitate nihil.
Quo capior, perdor, quo claudor, pellor ab ore,
Nostraq; mox diffiat fercula, quisquis amat.

Loca Bataviæ *ubi cespes eruitur.*

DIc quibus in terris pereunt sua rura colonis,
Ipsaq; concepto fomite flagrat humus?
Et mox effossi vectantur navibus agri,
Naiadesq; natant nunc ubi Vesta stetit?

Cicada.

SI cythaso pascuntur aves, ego victito rore;
Et mea, si dubitas, carmina Thyrsis amat.
Thyrsi musa placet, soli nocitura magistræ;
Vatibus hæc merces debita, certa fames.

In effigiem L. Realii, *rerum* Indicarum *juſtiſſimi præfecti, è Daniâ poſt naufragium reducis.*

CVi procul extremos nuper diffuſa per Indos
Gloria cum ſocio ſole peregit iter,
Sic oculos, ſic ora refert: hic ille Reali
Vultus, & Aonii Martia forma viri.
Si reduci nocuiſtis aquæ, plus additur ergo
Laudibus. Ænean hac quoq; ſorte refert.

FLORENTIUS SCOONHOVIVS.

Quod citò fit citò perit.

QVo flamma fumo clarius ſeſe exerit,
Hoc eſt minus vivacior.
Rarò perennat ingeni præcox vigor,
Puerq; qui ſpirat virum.

DANIEL HEINSIVS.

In Ioſep. Scaligerum *temporis emendatorem.*

LVx illa terræ, cujus ultimi nomen
Novere Seres, quem peruſta gens Phœbo
Indi loquuntur, cujus impetum livor
Adhuc tremeſcit, ut leonis extincti,

Non profuturis eminus petit telis,
Semen deorum, Cæsaris sui proles,
Iocus protervæ ludicrumq; fortunæ,
Sed major ipsa, pallidoq; livore,
Et utriusq; victor; hoc jacet busto.
At ne quid ævi seculiq; vis possit,
Dieisve longa deleat viri nomen,
Devinxit ipsum Scaliger sibi tempus.

In mortem Iani Douzæ. *Ad sydera.*

DVlces alumni noctis, ignei fratres,
Parvæ cohortes, lucidi poli cives,
Qui per serenos ætheris vagi campos
Molles choreas ducitis levi plantâ,
Cum membra nostra molliter reclinata
Victosq; sensus occupat sopor lenis.
Quid nunc, ut antè, per domum poli pictã,
Et è latebris, fornicisq; inaurati
Puris feneſtris tollitis sacrum vultum?
Abite rursus, non videbitis Douzam.

In columbas Iani Douzæ, *quibus in obsidione usus est.*

PErfidus invictum vesano milite Leidam,
Cinxerat, & toto robore miles Iber.
Terra, salumq; inquit, mea sunt. Via nulla salutis,
Nulla patet puppi semita, nulla viro.
Douza meus, medio, spe libertatis, in hoste
Tutus, & invicto pectore liber erat.
Ille, polus, dixit, dominum non novit Iberum?
Et, tua tota mihi, Iupiter, aula vacat.
Hinc quoq; fas nobis patriæ sperare salutem,
Ille mihi Minos hac fugiendus erit.

Quid

Quid patriæ non præſtat amor? quæ falleret hoſtem,
Douza virum nequiit mittere, miſit avem.

Eidem victori.

TVrpis nænia præficæq; queſtus,
Et triſti pretio redempta lingua,
Et ſuſpiria, turbidiq; luctus,
Et ſingultibus impedita verba,
Tyrrhenuſq; tubæ frequentis horror,
Et quicquid cineriq;, funeriſq;
Pompæ muneris imputatur uſquam;
Monemus procul eſſe. Nemo ponat
Sepulchrum tibi, Douza, ſed trophæum.

Eiuſdem epitaphium.

SIſtas, viator; Douſici manes rogant
Tempus exiguum, moramq; parvam:
Quem terra novit, Troiciq; pallida
Mater Memnonis, integrq; Phœbus,
Quiq; immerentem ſurripit terræ diem.
Non iſti, gemituſq; tibiæq;
Inane murmur, ſordidamq; næniam
Mendicant cineres, vagumq; leſſum,
Fractique raucos æneatoris modos,
Sed totas tibi lachrymas remittunt.
Cui tota luctum deſtinat tellus ſuum,
Vnius pudor eſt ciere voce.

In infantem nondum, matre moriente, natum.

HIc tumulus matrem, natum tegit illa, ſepulchrum
Terra tuæ matri eſt, nate, ſed illa tibi

Mortuus in tumulo es, quo vix'ti molliter antè,
Estque tibi tumulus, qui fuit antè domus.
Sic tumulusque domusque fuit tibi mater, & antè
Quam natus poteras esse, sepultus eras.

In obitum filioli Othonis Heurnii *lentâ gangrænâ extincti.*

MAtris delitiæ, patris voluptas,
Iam spondens, licet eminùs, beatâ
Mentis indole vividoq; vultu
Magnum nescio quid, quid Heurnianum,
Hic raptus jacet, hospes; ante funus
Instar funeris, & sibi superstes.
Serum est plangere, debitaq; morti
Ejulatio præviusq; luctus
Consumpsit lachrymas & antevertit.

In mirabilem casum Teuronensem; *in quo fracto tabulato, reliquisq; lapsis, aut læsis, sola regina constitit immota.*

CVm traherent nuper tecta insidiosa ruinam,
Nec jam commissum trabs sibi ferret onus,
Pars, Augusta, tuo quæ pressa est corpore, sola
Substitit, inque ipso pondere tuta fuit.
Cervicem intrepidæ, cœlum qui sustinet Atlas,
Et tutelares suppositere dei.
Incolumi te stante, tui sensere ruinam
Incolumes, quamvis tot cecidere viri.
Non poterant, nisi lapsa, tibi sic parcere tecta,
Nec, si lapsa fores, parcere tecta tuis.

De

De Scriverii *filio nuper nato.*

TVi lepores, Screveri, parvus tuus,
In ore cujus, cujus in blandis genis
Pudica mater vivit, & dulcis pater,
Mox insolenti leniter serpit gradu,
Mox & suavi blæsus alludet sono,
Fænoq; parvum condet & plumâ larem.
Ridere noli: totius præludium
Instantis ævi primus est vitæ lepor.
Viris quoq; ipsis grata sunt crepundia,
Opum cupido mollis, aut honor levis.
Ridere noli: ludibunda res homo est,
Semelq; pueri nascimur, semper sumus.

DOMINI. BAVDIVS.

In nuptias Henrici 4ti, *&* Mariæ *de* Medices.

PHœbe, quid Hesperio properas te mergere fluctu,
Curriculoq; rotas interiore diem?
Causa pia est: timuit, si serius isset ad undas,
Ignibus amburi, Cynthia pulchra, tuis.

Epitaphium Ducis Bironii *Francia Mareschalli.*

VIx tua mortalis poterat fortuna videri,
Dum stetit incolumi fama fideq; gradu.
Postquam præcipiti miser ambitione periisti;
Impius est, cineri qui pius esse volet.

NICO. BAXIVS.

Ad angelum, qui Christo *resurgente apparuit.*

CVm te Riphææ vestis tegit æmula brumæ,
Cur grave terribili fulmen ab ore jacis?
An quia designat placidus solamina candor,
Adjunctasq; minas horridus ignis habet?
Scilicet est dignus pavidus solamine sexus,
Digna sed ingenti Martia turba metu.

Ad puerum Iesum *virginis in gremio.*

HVnc dulcem quamvis voveam mihi, diva puella,
Non tamen ille tuo sustinet ire sinu.
Hanc dulcem quamvis voveam mihi, Christe, parentem,
Illa tamen vultu nescit abesse tuo:
Nec nato genetrix, natus genetrice movetur;
Quid faciam? geminos mutuus arctat amor.
Ergo mihi castis stringetur uterq; lacertis,
Sicq; simul puero, sicq; parente fruar.

In VALENTEM *Imperatorem qui nequivit scribere legem exilii* Sti Basilii.

DVm parat exilii feralem scribere legem,
Damnari cujus dignior ipse fuit.
Non valet ipse Valens. Superos quis degere lentè,
Numen & humanis rebus abesse putat?
Illita namq; tribus defecit sepia pennis,
Chartaq; funestas non tulit ipsa notas.

Quis

Quis temerare viros tam ſanctos improbus auſit?
Auxilium læſis non animata ferunt.

Theophilo *repentinâ morte extincto.*

COnſidit, ut gracili telo cum deſit Aëdon,
Extinxit pueri quam violenta manus;
Et canit, & medio finit ſua carmina cantu,
Et moriens, ipſam neſcit adeſſe necem.

In tumidum.

VEl bona, vel mala ſunt, animus quibus intumet; atqui
Si mala laude carent, ſi bona non tua ſunt.

BALD. CABILLAVIVS.

Echo.

PAucula forte loqui volui, cum pauca loquenti
Neſcio quæ ludós vox mihi mima facit.
Iamq; ſono, tradux ſonus errat in avia: fit vox.
Vna loquax, populus; vocis an aura pari?

Bombyx glomo ſuo immoriens.

EXtexo teretes lanoſo pectore tramas:
Fuſus ubi eſt quæris, ruſtice? nullus erat.
Majus alo monſtrum; queis prægnans divite letho
Ibo mori, vivos noſtra ſepulchra tegunt.

Eluvies fluminis.

ABruptis vagus amnis agros insultat habenis:
Mersa Ceres, tristi gramina mersa vado.
O cœlum! ô tellus! campi si flumina, & omnis
Ah! seges unda; siti verte, colone, famem.

Fontesærii per aquæductus.

AErio vidi pendentes flumine rivos,
Quâ vix æripedes nubilat Iris aquas.
Vnde leves alæ nymphis? quas perdidit undis,
An dedit his pennas Icaris ala suas.

Uranoscopus.

QVid mihi cum ponto? salsas dedignor arenas.
Vnde libet mergar, qualibet astra sequar.
Vraniæ hic oculus: quid enim nisi sydera spectem?
Solus ego è brutis fratribus Astrologus.

Magvei *arbor in novâ Hispaniâ.*

ARbor, mel, pluit arbor aquas, pluit arbor laccum;
Fila parit arbos, & sibi gignit acum.
Excute mordaces spinoso pectore curas;
Pro domino œconomum, quam colis, arbor agit.

Roma *de bellis civilibus.*

OCcubui Æneadum duro collisa duello,
Armaviq; Italas, in mea busta faces.
Sit scelus, at decus in scelere, & mors æqua triumpho:
Roma manu vinci nobiliore nequit.

Seges

Seges crispans à vento.

HIc ubi sollicitis crispum mare fluctuat undis,
Fluctus quem metuas, Rustice, nullus erit.
Portus eò hic major, plures quo videris undas:
Quæ ni sic crescant, naufragus absq; mari es.

Toga picta.

PInxit acu Babylon florentes murice vestes,
Perpetuumq; tibi ver sine vere serit.
Pro trabeâ vin' flore tegi? quid prodigis aurum?
Hortulus id gratis vel sine veste dabit.

Campania.

ME torvo oblimat oculo contermina Thusci
Diva, pari vultu Sicelis ora notat.
Aut hic, aut nusquam est, quod terris, Itale, cœlum
Quæris, & Elysium, sed sine dite, nemus.

Formica in succino.

HEliadum lachrymis sese ut formica teneri
Sensit, & è pingui serpere rore gelu,
Risit &, ô, dixit, quàm te mors nescia fallis;
Sic gemmâ condi, vivere penè fuit.

HERCULES.

VT Nemees terror, domuit fera monstra leones,
Infractis humeris vellera opima tulit,
Magnanimum ut vidit fulvâ sub pelle nepotem
Iupiter, an duplex hic leo, an unus? ait.

Horo-

Horologium.

NOta ſilet, ſtatq; hora, gravi en traho pondera plúbo,
It rota nexa rotis, tinnulaq; æra ſonant.
Quis teneat lento fugientia tempora nodo,
Si dant & celeres plumbea vincla pedes.

Veſtis pellucens.

VIs latus infido prodat toga vitrea textu,
Et pretio inſano textile frigus emis?
Riſimus. Et cur non? rarum ſi ſtamen honori,
Indue arachneas retia rara plagas.

Dii Ægyptiorum.

STellanti delubra ſtupes certantia templo
Cœlituum, & fulvo tecta ſuperba tholo?
Majus ineſt monſtrum: Deus hic canis, hircus, & anguis:
Monſtra dii? hîc hominem quis neget eſſe pecus?

Vnde nivium flocci.

QVis mihi lanificas tot carminat æthere nubes?
Vnde pluit nudo lanea veſtis agro?
An poſitâ Libra Virgo per cærula cœli
Paſcua Phryxeæ vellera tondet ovis?

Cepa numen.

ALlia quot numerat Iſis Nilotis in hortis,
Tot peperit Nili putrida gleba deos:
O ſanctæ gentes, queis terra puerpera div ſim!
Si ſic numen olet cepa, quid hortus erit?

De

De comptulâ.

MIraris nitidasque manus, vultumq; bigemmem,
Stellanteſque oculos, puniceaſq; genas,
Aureolamq; comam, & queis gemmat imago, ſmaragdos?
Eſt magè quod mirer, nil habet archetypum.

Mors ÆSCHYLI.

TEcta caduca fugis, puro ſtat vivere campo:
Sors ſi cæca velit, urbs tibi campus erit.
Rure cadit teſtudo, domus cadit ardua conchæ;
Te necat iſta domus, mors tibi ubiq; domi eſt.

Anacreon *acino ſtrangulatus.*

CAutus aquam vitas, vitas mare, & humida lethi
Flumina, vitantem mors tulit hauſta mero.
Quid juvat undoſo mortem vitare ſepulchro,
Naufragium in terris ſi tibi & uva facit?

Puer extinctus.

DEpuber viridi florebat vere juventus,
Mors ferit, illa cadit, teſtula curta tegit.
Cur premis ah ſaxo? condi ſub melle liquenti
Debuit ille favo, flos cui vita fuit.

Quo pœnitentis lachryma tendant.

ITe licet cœlo, non eſt gravis imber amoris:
Ignis ut aſtra petit, ſic ſatus igne liquor.

Odores.

PAſtillos, violas, nardi cum pulvere anhelo
Ebria odore bibit naris, & haurit opes.

Luxus edax populator opum sic decoquit aurum:
Scis quidnam hæc redolent cinnama? pauperiem.

Cur serpentis pellis medeatur auribus.

EXuviis medicis serpens parit aure salutem:
Serò pius noxam quà dedit Eva piat.

Ad Ebriosum.

TE cornu incursat Bacchus, petulante sub ictu
Mens fugit hausta mero, pes fugit, ora natant.
Et magè quod mirer, mœsto illachrymaris Iaccho;
O pietas! læsæ vitis & istud habes.

Quid lilium.

LIlia siqua cavo ver tornat eburna quasillo,
Vermiculatq; auro Dædala Flora suo:
Attigeris, mora nulla, fluent: quod nobile credas
Veris ebur, vernam lilia crede nivem.

Echo. Modestia.

VIrgo fui: Lachesis vocales vertit in auras,
Nunc habito arguto garrula mima specu.
Garrula? quàm fallor? linguæ quis parcior hæres?
Non nisi justa queror, cui pudor ulti ò loqui est.

Cur Cornua Baccho.

ANte cicur Semeles pullus, nunc cornua lunat,
Et furit, ut miti contigit ora botro.
Arietat hos illos obnixo in prælia cornu;
Id Bacchus didicit à patre; taurus erat.

Cur

Cur ſtipem pro Matre deorum poſcunt.

MAgna deûm mater toto mendicat Olympo,
Et pro matre deûm poſcit agyrta ſtipem:
Nempe fames coquit atra deam. Non miror inani
Ire penu, quæ tot nutriit una deos.

Cur Sol in Indiâ *oritur.*

VT Sol Oceano natali emerſit in auras,
Gemmantes radio divite inaurat agros,
Teq; oriens ambit auro præſignis & oſtro:
Credo tuas gemmas aureus hoſpes amat.

Hyems veſtit Sylvas.

LAnifico depectit hyems ſua vellera nimbo,
Et niveâ algentem veſtit humum tunicâ:
Sic quæ frondoſa ſpoliet nemus omne lacerna,
Damna brevi è lana juſta reſarcit hyems.

CAROLVS MALAPERTIVS.

Titus Manlius filium plectens.

FIlius à pugnâ ſpoliis veniebat onuſtus,
Fauſtaq; non juſſa ſumpſerat arma manu;
Vltores patriæ ſenſit, me judice, faſces:
Nempe ſimul potuit victor, & eſſe nocens.
Non pater occidi: nam quiſquis judicis æqui
Perſonam induerit, exuit ille patris.

C.

C. Iunius Brutus.

IPse ego subjeci natorum colla securi,
Vtcunq; hoc olim postera turba ferat.
Crederet imperio quisquam movisse Superbos,
Quando superbiret sanguis in urbe meus?
Quin potius collapsa domus me lugeat orbum,
Dum tibi me possis dicere, Roma, patrem.

IOANNES MEVRSIVS.

Sorti par esto.

HOnore quanto cæteris sublimior
Habeberis, virtute item sis amplior;
Animumq; sorti convenire fac tuæ:
Fortuna semper muneri quærit parem.

Pauper divite non inferior.

QVid dives insultas bono, sed pauperi?
Præstare nempe te putas? ô falleris!
Fortuna non pretium tibi, at virtus facit;
Et moribus non opibus æstimaberis.
Vis esse magnus omnibus, fias bonus?

Nunquam vindica.

SI quispiam misero tibi insultaverit
Protervus, & Sors postea vertet rotam,
Opemq; egenus ille deposcat tuam,

Non

Non aſperatâ mente vindicaveris:
Deus facit dum ſupplicem ſternit tibi.

Rubor pudoris ſignum.

RVbore vultus imbui multo placet:
In ore quantum ſanguinis, pudoris eſt.

Conſilia ab eventu cènſentur.

CONſilia nulla quicquam habent prudentiæ,
Nec recta ſunt, malè ſi cadant, rectiſſima,
Nec prava ſunt, bene ſi cadant, praviſſima.
Fortuna ſola damnat omnia, & probat.

Efficax exemplum princeps.

SI recta princeps imperat, faciat quoque,
Vitæq; ſpecimen ſubditis reddat ſuis.
Male imperat, qui non facit quod imperat.
Quacunque ducet, principem facilis ſuum
Populus ſequetur: tanta vis virtutis eſt!
Non juſſa, verum exempla morum poſtulat.
Iubet potenter, quiſquis exemplo jubet;
Severaq; eſt cenſura vita principis.

Beneficiorum ratio.

OFficia toti præſtita reipublicæ:
Tam grata non ſunt civium quàm ſingulis
Quæ contuliſti, ſcilicet præpoſterè
De rebus uſq; iudicat populus levis;
Quod omnium ſit ſemper alienum putat.

Ignorantiam.

Ignorantiam profitere ingenuè.

NEscire turpe, scire quod te oporteat.
Non velle scire nescias quod, turpius.
Nescire nolle quod haud scias, turpissimum.

Reges ne lacesse.

QVid obstinatus regis iram provocas?
Timere disce, disce cedere, & cave:
Terrestris ille est Iupiter, fulmen jacit.
Flecti negat quodcunq; certo frangitur.

Honesta impera.

OBsequia dominus prona servorum cupis?
Honesta quæ sunt imperare convenit.
Parere, quisquis recta non jubet, vetat.

Leges exerce.

LIcentiam rex subditorum comprime,
Legesque nomen esse vanum ne sine.
Punire quisquis non cupis scelus, jubes:
Et criminum neglecta pœna præmium est.

Virtus nobilitat.

IGnave, toties stemma quid jactas tuum,
Imagines que mille sine virtutibus?
Virtus avitis major est honoribus;
Virtus avitis mater est honoribus:
Tibique tradet sola quod possis tuum
Iactare: avita ne putes unquam tua.
Quid multitudo imaginum? nimirum avos
Probat fuisse nobiles, non te facit.

Sufficiant tibi tua.

QVis nil habet? qui cuncta avarus expetit.
Quis cuncta? cui sunt pauca quantumvis satis.
Transcendit ille vota quisquis nil cupit.

Malorum patiens esto.

MVndus palæstra est, vita certamen piis:
Præivit ipse Christus, & docuit pati.
Difficilis est ad astra quæ ducit via,
Magnoq; constat vel suo cœlo frui.

Seditionis capita tollenda.

VIx multitudo facilis ad pœnam venit,
Stupidumque cladem vulgus haud sentit suum:
Deinde qui sic punit, irritat scelus;
Hebesque pœna muneri non sufficit.
Duces ferire supplicî compendium est.

Semper benefeceris.

FEcisse pigeat alteri nunquam benè:
Facit sibi bene, alteri quisquis facit,
Nec est volenti deesse quod possit bene.
Quod usque possis, usque faciendum puta;
Natura, posse cum dedit, jussit tibi.

Beneficium rectè colloca.

BEneficium prudenter expensum feras,
Nec prodiga quidem manu, largâ tamen.
Hoc ultimum donare, primum perdere est.
Injurioso sparsa calcantur pede

Fin-

Frumenta, si quæ severis, frugem ferunt,
Et grata dominum spica proventu beat.
Beneficium conferre, rectè ponere est.

Pauperis sapientia.

CVr esse verbis divitum majus solet
Pondus, fidesque? scilicet radio jubar
Rutilantis auri cuncta perstringit suo,
Fidemque fulvus omnium nummus regit.
Sapientia inopum gemma stercore obruta est.

A crapulâ abstine.

AVara quicquid crapula offendit boni,
Hominisque totum mergit in ventrem decus,
Laudis Charybdis, & sepulchrum est ingenî.
O prava studia, & ô nimis mortalium
Consilia fatua, damna qui tam magno emunt.

Convivia sobria.

TAm sumptuosa quò struis convivia
Mensæque fastum? gratiamne impensæ habent?
Si das amicis quidlibet fuerit satis,
Si non amicis quidlibet jam plus satis:
Sed non amicis, at tibi; & debet miser
Tuam perire nummus in libidinem.
Vis clarus aliis optimè dici tuas
Parare cœnas? esse frugalis velis.

Calumnias contemne.

VBi culpa non est, esse nec debet timor.
Sed nullius qui conscius sceleris timet,

Suam

Suam ipſe vecors damnat innocentiam.
Dum te ſagittis improbus petat ſuis
Calumniator, ipſemet ſeſe ferit;
Et propria narrat vitia, dum cupit tua.

Moderata potentia.

BEnigna magnam ſi tibi potentiam
Fortuna tribuit, ſæpè viribus tuis
Parcas neceſſe eſt, frænaque imponas tibi.
Si multa vis diù poſſe, multa non velis.

Aude aliquid eximium.

SI te in reducta valle Fortunæ manus
Non æqua poſuit, ipſe te extollas licet.
Aſſurgere aude, & ſorte ſis major tuâ:
Magnanimus omnis ipſe Fortuna eſt ſibi.

Virtute ambias.

EXcelſa honorum quiſquis ambit culmina,
Virtute ſemper ambiat fretus ſuâ.
Nihil repulſæ diſtat alienus favor.

Mors pro patriâ.

ANimam ſalutì impende fortis publicæ:
Quem ſic perire cernis hunc naſci putes.

Libenter moriamur.

VItæ ſupremus cum dies illuxerit,
Et dona magnus repetit à nobis Deus.
Animus querelæ parcat, & reddat libens
Quod commodatò noverit ſolùm datum.

Conceſſa

Conceſſa promptè & libenter reddere
Eſt gratiarum non leviſſimum genus.

Felicitas inſtabilis.

SIc nempe ſævâ torta ludentis manu,
Laſciva dum ſe tollit, & tentat polum,
Lapſu repentè feſſa deſcendit pila,
Nec eſt ſtupendum: quippe fortunæ vehit
Quem dextra ſupra robur & fulcrum ſuum,
Volubiliq; leviter imponit rotâ,
Non occupato ſcit loco conſiſtere
Sublimitate tremulus & nutans ſuâ.
Quodcunq; culmen, & ruinæ limen eſt.

Morbus medicina eſt.

QVàm mira res eſt: optimi infirmi ſumus,
Cum membra languor frangit, & ſæva manu
Imbelle molli corpus affigit thoro.
Non tunc avaro profutura jam nihil
Spes inhiat auro; nulla dejecto nimis
Libido mentem furiat inſana face;
Invidia nulla. Liber, evectus ſupra
Cacumen omne, ſeque major, deſuper
Oculo impotentem deſpicit faſtum gravi;
Damnatq; honores, vota jampridem ſua:
Cœlum requirit totus, & cœli Deum.
Sic nemo rectè præter ægrotum valet,
Morbuſque vitæ ſanitas certiſſima eſt.

Adverſa patere.

SI dura ſæva vulnus infligit manu
Fortuna, variiſq; aſperat ſortem modis;

In te remedium est, ipse medicus sis tibi.
Non quidpiam durum esse nisi molli potest.

In pecuniæ cupidum.

ESse cupis dives? virtutem quære, nec ultra
Quicquam: divitias hæc dare sola potest.
Omnia habet, nec quid desiderat amplius, estq;
Maxima in extrema copia pauperie.

De verbis βρόχος, & βρόγχος.

CVr βρόχος & βρόγχος parvo discrimine Græcis?
Scilicet id multis est gula quod laqueus.

In Sabellicum.

CVr pejerat Sabellicus? perjurium
Sermonis esse, haud criminis putat genus.

IANVS PANNONIVS HVNGARVS.

In furem VIRGILIANUM.

EXcusas sic te cùm quid furare Maroni,
Surripuit Chio quòd Maro multa seni,
Excusatus eris, quin & laudabere vates:
Si modò surripias, ut Maro surripuit.

Ad Matthiam *Regem.*

QVæ te ultra tellus, quæ te feret, inclyte regum?
Quis non auditas procidet ante tubas?

Quandoquidem

Quandoquidem sævi tibi jam cessere Boemi,
Haud unquam externum natio passa jugum.
Si venit insignis de quolibet hoste triumphus:
Hactenus invicto qualis ab hoste venit?

De PIO 2do *Pontifice expeditione in Turcos mortuo.*

DVm Pius in Turcos pia sumit signa secundus,
Solvere dum classem, dum dare vela parat:
Hadriaci extinctus Piceno in littore Penti,
Famosum subito funere rupit iter.
Sis licet ingentis vana spe lusa triumphi,
Da veniam fatis, anxia Roma, tamen.
Præcisas neu plange moras: fortasse fuisset
Perveniss minùs, quàm properasse fuit.

De MESSIO.

CVm spoliare parat dejectum Messius hostem,
Quod faciat lucri conspicit esse nihil.
Percitus ergo irâ supra caput ense levato,
Hoc, inquit, solùm quod rapiamus, habes.

De AURISPA.

TAm doctus scribat cur nil Auriſpa, requiris?
Credatur multò doctus ut esse magis.

De negante mutuum.

MVtua nescio cui dederam duo nuper amico,
Accepisse tamen perfidus ille negat.
Iactura ô felix, nobis simul utile damnum:
Si duo solvisset, mille daturus eram.

Ex-

Excusatio quòd pericula non subeat. Ad Proceres.

QVòd spectator iners aliena pericula miror;
Non timor hoc, vestri, credite, cura jubet.
Nam si pugnantem rapiat sors ulla poetam;
Quis vestras mortes, funera vestra canet?

Ad RVFVM.

CVm domus arsiſſet penitùs tibi, decidit imber:
Agnoscis liquidò jam puto, Rufe, deos.

Ad GALEOTTUM.

VNde tibi, ut nuper quod erat pice nigrius atra,
Tam subito rutilum fit, Galeotte, caput.
Ipse ego te primo dubitavi agnoscere visu,
Mox fictum dixi ferre capillitium.
Sed nihil est fuci: sic de radicibus imis
Pullulat, & penitus nascitur iste color.
Ergo ut vera tibi est, ita sit longæva juventus,
Nec decus hoc senio læserit ulla dies.
Quæ fieri è pulla potuit sic flava, meretur
Vt fiat nunquam candida cæsaries.

Ad Paulum *Pontificem.*

SAnctum non possum, patrem te dicere possum,
Cum video natam, Paule Secunde, tuam.

Ad Paulum.

CArmina quæ nobis, Paule, emendanda dedisti,
Signata haud ullis quòd redière notis

Ex-

Ne frustra exultes, neu te spes irrita ludat.
Nil opus est signis pars ubi nulla placet.

De Ludovico Carbone *mortuo.*

QVi nunc es carbo, nempe olim pruna fuisti;
Pone animos, fies mox, Ludovice, cinis.

Ad Paulum.

PAule, superjectâ quæ portem veste requiris?
Si te scire velim, non ea, Paule, tegam.

In Severum.

SCripsisti egregium, Severe, librum,
Quo contemnere gloriam docemur:
Quæ si vile quid est putanda nobis;
Quare tu minio tuum rubenti
Summo margine nomen annotasti?

Ad Paulum *Pontificem.*

CVm sit filia, Paule, sit tibi aurum,
Quantum Pontifices habere raros
Vidit Roma priùs: pater vocari
Sanctus non potes, at potes beatus.

GEORGIVS THURIVS HVNGARVS.

De iniuriâ.

NOn injuria dente mansticanda,
Sed toto, ut pilula, ore devoranda.

Ad

Ad Amicum.

FVnere de patris breviter me ſcribere mandas,
De patris breviter funere ſcribo; jacet.

GEORG. BVCHANANVS.

Piſtoris & Pictoris Dialogiſmus.

COntendunt ſpecimen Piſtor Pictorq; uter edat
Pulchrius, hic fuco doctior, ille foco.
Hic feciſſe Deum ſe jactat: retulit ille
Corpus ego verum, tu ſimulachra facis.
Dentibus aſſiduè teritur Deus, hic, tuus, inquit:
Corrodunt vermes, rettulit ille, tuum.
Pictor ait, multos meus integer aſtat in annos,
Sæpe una innumeros devorat hora tuos.
At tibi vix toto Deus unus pingitur anno
Piſtor ait, decies mille dat hora mihi.
Parcite, ait Myſtes, fruſtra contendere verbis,
Nil ſine me poterit veſter uterq; Deus:
Et quia utrumq; Deum facio, mihi ſervit uterq;
Namq; hic mendicat, manditur ille mihi.

In Paulum *Pontificem.*

PAulus ab Hebræo ſcis quantum diſtat Iuda?
Hic cœli dominum vendidit, ille domum.

De Monachis S. ANTONII.

DIceris, Antoni, porcos paviſſe ſubulcus
Vivus, adhuc Monachos lumine caſſus alis.

Par ſtupor ingenii eſt, ventriſq; abdomen utriſq;,
Sorde pari gaudent ingluvieq; pari.
Nec minus hoc mutum pecus eſt brutumque ſuillo,
Nec minùs inſipidum, nec minùs illepidum;
Cætera conveniunt, ſed non levis error in uno eſt:
Debuit & Monachis glans cibus eſſe tuis.

Ad Theod. Bezam.

VAtes optime, ſacra Chriſtiana
Qui caſtè colis & facis, caniſq;:
Ad te carmina mitto, nec Latino,
Nec Graio ſale tincta, ſed Britannis
Nata in montibus horridâ ſub Arcto,
Nec cœlo, neque ſeculo erudito.
Quæ ſi judicio tuo probentur,
Vt claſſis modò in ultimæ referri
Poſſint centurias, nihil timebo
Cenſuram invidiæ, nihil morabor
Senatus critici ſeveritatem,
Nihil grammaticas tribus; mihi unus
Beza eſt curia, cenſor, & Quirites.

In pinum præ foribus ſcholarum erectam.

CRedite carminibus deductas montibus ornos;
Credite Threiciam ſaxa ſequuta chelyn.
Res nova priſcorum ſuperat miracula vatum,
Carminis illa comes ſilva erit, iſta parens.

In hominem vanum.

DVm fatuè inſani compilas ſcripta Doleti,
Et blateras nullo jurgia tincta ſale;

Quic-

Quicquid agunt alii, præ te contemnis, & uni
Se tibi dat Phœbus, Pierideſque favent.
Solus agas rectè per me licet omnia; ſed dum
Omnia te ſolo judice ſolus agas.

In divitem avarum.

DAs inopi dives, ſed qualia reddere poſſit
Munera. Nonne hoc eſt dicere? redde mihi.

Iacobo Sylvio.

SYlvius hîc ſitus eſt, gratis qui nil dedit unquam,
Mortuus &, gratis quòd legis iſta, dolet.

Henrico Borbonio *ſummæ ſpei adoleſcenti.*

BOrboniæ ſpes illa domus, patriæq;, patriſque,
Nunc patris, & patriæ, Borbonidumque dolor,
Hic ſitus Henricus: violas aſperge viator,
Neu bona quæ fuerat vita, reare brevem.
Sat vixit, benè qui vixit; ſpatium brevis ævi
Ignavi numerent tempore, laude boni.

Ad Henricum Scotorum *Regem.*

CAltha ſuos nuſquam vultus à ſole reflectit,
Illo oriente patens, illo abeunte latens:
Nos quoque pendemus de te, Sol noſter, ad omnes
Expoſiti rerum, te ſubeunte, vices.

In Poſthumum.

NEſcio an inſpex'ti Narciſci, Poſthume, fontem,
Hoc ſcio, deliras, Poſthume, amore tui.

Ille tamen meritò: Nam quod maleſanus amabat,
Antè quidem id multis cauſa furoris erat.
At tua non paulò eſt major veſania, qui te,
Sed ſine rivali, Poſthume, ſolus amas.

In Zoilum.

FRuſtra ego te laudo, fruſtra me, Zoile lædis:
Nemo mihi credit, Zoile, nemo tibi.

E Græco.

NVper Achæmenidæ fuimus, nunc arva Menippi,
Ac dominis erimus præda ſubinde novis:
Hic ſua nunc credit, quondam ſua credidit ille,
At ſua ſors verè dicere ſola poteſt.

Luna.

QVòd maculas vultus alieno lumine fuco,
Muto cuncta, marem nunc peto, nunc fugio.
Quòd vaga, quòd nunquam conſtans, vis diſcere cauſam?
Fœmina ſum, uxoris forſan imago tuæ.

Penelope.

FOrmoſam, viduam, ditemq; in flore juventæ,
Inter tot juvenes, Penelopæa, procos,
Qui te ſervatam bis denos credidit annos;
Non oculis tantum captus, opinor, erat.

Loquitur

BIBL. CANT. ACAD.

Loquitur adamas in cordis effigiem sculptus, quem Maria Elizabethæ Angl. *misit.*

QVod te iam-pridem fruitur, videt, ac amat absens,
Hæc pignus cordis gemma & imago mei est.
Non est candidior, non est hæc purior illo,
Quamvis dura magis, non magè firma tamen.

Ad Iacobum Moraviæ *comitem.*

SI magis est, ut Christus ait, donare, beatum,
Quàm de munifica dona referre manu:
Aspice quàm faveam tibi: sis ut dando beatus,
Non renuo fieri te tribuente miser.

FINIS.

Amice lector.

Errata hæc, quorum maxima pars in aliqua tantùm horũ est typa irrepserunt, muneris nostri est indicare; leviora, quæ etiam pluscula occurrant, tui erit candoris emendare.

LEge mearum page 18. lege illa tibi p. 23. l. properaret p. 66. l. idq; unum. p 107 l. sectoq; p. 139. l. tum Phaethõ &c. 145. l tuos ocellos hujus & spectaculo 167. l. fæces. 179. l. It Phæbe 189. l. ursa feras 193. l. cubanti 186. l. Roma quod numen colit 207. l. solo est 209. l. litigatq;. Intumescit p. 210. l. Orciq; custos 215. l. si cysso 218. l. emerentem 221. fontes aerii 226.